a

GEMINVM SIDVS
MARIANI
DIADEMATIS,
SIVE
DVPLEX DISPVTATIO

De infinita Dignitate Matris Dei, atque de eius Gratia habituali infinita simpliciter.

Authore R. P. *IOANNE DE CARDENAS*
Societatis IESV.

Editio secunda à mendis expurgata.



LVGDVNI,
Sumpt. LAVR. ARNAVD, & PETRI BORDE.
M. DC. LXXIII.
Cum Approbatione & Permissu.

EXCELLENTISSIMO HEROI D. D.

EMANVELI PONZE DE LEON,

Duci Aueiri, Duci Maquedæ, Marchioni Elchæ, &c.

OFFERO tibi geminum munus, Heros clariſſime, ne dextera, vel ſiniſtra mea non famuletur Excellentiæ tuæ. Neque eſt, cur verear coram te de exiguitate donantis. Solet quandoque manus exigua grandia capere; & puſionis dextera ingentis gemmam pretij continere. Duos cæli adamantes offero: ecce pretium,

& magnitudinem. Duos Virginei diadematis vniones, quos hæreditariæ Maiorum tuorum Coronæ claritudo tua ad gloriam ſuperaddat. Duo ſidera, quæ in ſanctiſſimo capite orta, ad tuæ claritudinis meridiem translata, fulgoribus impleant, occaſum neſciant.

Et ſanè ſiue ſidera ſpectes, ſiue gemina; ſiue in Mariam intendas, ſiue in diadema; planè comperies, totidem tibi nominibus debitum eſſe hoc, quodcumque illud eſt, *Geminum ſidus Mariani diadematis.*

In primis ſi *ſidera* ſunt, non mirabor, in domum tuam illa deſcendere, quæ non niſi in firmamento ſedem ſibi vindicant. Nonne domus tua firmamentum Catholicæ Religionis aduerſus Mauritanam perfidiam? Teſtor Proauos illos tuos, Excellentiſſimos præſertim Gadium Duces, qui fre

frementes Maurorum turbas, in Religionis vindicias trucidarunt.

Sed & ſi *gemina*, tua ſunt: vt generis claritudinem geminato pietatis ſplendore nobilitent. Gemina ſidera ſunt Leo & Virgo, ſibi proxima, ſibi cohærentia. Præit Leo in cœlo, quaſi Virginis iura defenſurus: ſequitur Virgo Leonem fauſto ſuo ſidere illum exornatura. Quid quòd Catuli Arcobrigenſis vires Virgineo hoc ſidere geminentur, vt ipſius Virginis ſplendorem tueantur?

Diadema ſi ſpectes, tuum etiam eſt: qui Regio ſanguine ortus, tot diademata numeras, quot Reges Proauos.

Iam verò *Marianum* etiam diadema ad te ſpectat, vt almæ Virgini offeras; quam ſcimus de cubilibus Leonum coronari. Nonne cubilia Leonum appellanda ſunt ea pervetuſta templa,

CENSVRA R. A. P. ANDREÆ Mendo è Societate IESV, Supremi Sanctæ Inquisitionis Senatus Censoris, Salmanticæ olim Theologiæ Professoris, & Bibliorum Interpretis, inibi nunc Collegij Hybernorum Rectoris.

EX præscripto Supremi Castellæ Senatûs sedulò vidi, ac totis oculis hausi opus, cui inscriptio est, *Geminum sydus Mariani diadematis.* Authore Ioanne de Cardenas Societatis nostræ Theologo: eximiè iam laudatum, & comprobatum ab Illustri Vrsaonensis Academiæ Sapientissimo cœtu; necnon à tribus Doctissimis Episcopis, à pluribusque aliis viris insignibus. Illud non tam censendum, quàm admirandum suscepi. Excellentiarum Deiparæ abyssus nunquam exhauriri à mortalibus valebit: eas innumeri Authores pro munere, pro obsequio, variis penicillis ornarunt. Verùm inde crediderim, Lunam esse sub pedibus eius, quando pulcra vt Luna laudatur; quòd quidquid sub Luna pulcrum apparet, quidquid perfectionum in ea mens humana præfigit, quotquot laudes excogitat, vix accedat ad id, quod ipsa suis pedibus calcat. Nouam tamen semitam extollendi Mariam excogitauit eruditissimus hic Author: & nouitatis dumtaxat voce forsan aliqui deterrerētur, nisi & encomia de Deipara proferrentur, in quã noua, & vetera è doctrinæ thesauro non adhuc exhausto mirè adaptantur; & fundamentis ab authoritate, & ratione fulcirentur. Pius certè animus eis assentitur vltroneus; nec iudicium obstrepet,

ſtrepet,ſi cuncta exactè perpendat. Elucent in duplici hoc ſydere, ſeu diſputatione, erudita Patrum inueſtigatio, Authorum fida expoſitio, momentorum non enerue pondus. Authori gratulandum, quòd ſemitet viam, quam alij ſequantur: & Mariam ſpecioſiori diademate cinctam oſtendat. Nihil fidei, nihil piis moribus offendiculum parans reperi, quominus facultatem edendi in lucem Opuſculum impetret. Sic ſentio. Matriti, in Collegio Imperiali Societatis IESV, die 31. Auguſti, anno 1659.

Andreas Mendo.

APPROBATIO ILLVSTRISSIMI Domini D. Fr. Didaci de Gatica, Epiſcopi Biſertæ, in rebus Fidei Cenſoris in Hiſpalenſi Senatu, Examinatoris Synodalis, olim Reuerendiſſimi Prouincialis ex Ordine Diuæ Virginis de Mercede.

EXamen,& cenſuram libri (cuius inſcriptio de Gemino ſydere Mariani diadematis, ſed Author ſapientiſſimus P. Ioannes de Cardenas de Societate IESV) D.D.Didacus de Caſtrillo, huius Metropolitanæ Eccleſiæ Hiſpalenſis Canonicus meritiſſimus, & eiuſdem Archiepiſcopatus in Sede vacante Prouiſor, & Vicarius Generalis mihi iniunxit. Vidi, & viſum omni approbatione excipiendum,& plauſu indico,& meo iudicio etiam deuotione erga Deiparam aduocatam noſtram, & ſecundùm noſtram fidem, & ſacros Doctores, D.

ã 5 Tho

Thomam, Augustinum, Hieronymum, Gregorium, Dionysium, & alios, propter Maternitatem, ex suppositione electionis ad tantam dignitatem Mariæ, licèt multa, & magna subtilissimè, & disertissimè congerat Author, multis plurima, magnis maiora debentur. In eo enim interlucent, & emicant, primò integritas fidei, secundò Bibliorum explanatio, antiquorum cruditio, & ingenij subtilitas: hîc prænunciatæ Euangelij veritates, ac veteris, & noui Testamenti sententiæ suis genuinis sensibus expositæ sese demonstrant: isthic Sanctorum dicta plusquàm aurea patescunt: illic discursus subtiles, deuotio singularissima, & ingenij acumen Authoris exsurgit. Vndique stylus elegans, suauis, & dulcis. Et miror in vno tam paruo Opere tanta cum eminentia tantam dignitatem infinitam Mariæ posse Authorem explanare, & apprimè cum euidentia probare. Error hîc abest. Sentio itaque Opus esse electum, & inter plura eligendum; & sic dignum, vt publicam lucem accipiat. Sic iudico, hæc mea censura. In hoc Collegio D. Laureani Hispalensi die 20. mensis Februarij, anno Domini millesimo quinquagesimo octauo.

Mag. Fr. Didacus de Gatica.

LICENTIA DEL ORDINARIO.

EL Doctor Don Diego de Castrillo, Canonigo de la santa Iglesia Metropolitana desta Ciudad de Seuilla, Prouisor, Iuez, Oficial, y Vicario general en ella, y su Arçobispado, por los Señores Dean

Dean, y Cabildo Canonigos in ſacris Sede vacante, &c. Por la preſente, y por lo que toca a eſte Tribunal, doy licencia para que ſe pueda imprimir, e imprima el libro intitulado Grandezas, y Excelencias de la Madre de Dios, y Corona ſuya, ò duplicada diſputacion de ſu infinita dignidad, y de ſu gracia habitual infinita ſimpliciter, compueſto en Latin por el Padre Ioan de Cardenas, Religioſo de la Compañia de IESVS, ſin que por ello incurran en pena alguna: por quanto por comiſſion nueſtra ha ſido viſto, examinado, y aprobado. Fecha en los Palacios Arçobiſpales de Seuilla, en 1. de Março, de mil y ſeiſcientos y cinquenta y ocho años.

El D.D. Diego de Caſtrillo.

Por mandado del ſeñor Prouiſor.

Bartolome Franciſco de Buſto, Notario Mayor.

FACVLTAS R.A.P. FRANCISCI FRANCO, Viſitatoris Prouinciæ Bœticæ Societatis IESV.

EGo Franciſcus Francus, Viſitator, & Viceprouincialis Societatis IESV in Prouincia Bœtica, poteſtate ad id mihi facta à R. P. Goſuvino Nickel Generali Præpoſito eiuſdem Societatis, facultatem facio, vt liber inſcriptus, *Geminum Sydus Mariani Diadematis*, à P. Ioanne de Cardenas no-

ſtræ

ſtræ Societatis Theologo compoſitus, & eiuſdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas, & à Secretario noſtro firmatas dedimus: Granatæ die vigeſimaquinta menſis Maij, anno 1656.

Franciſcus Franco.

Locus † *ſigilli.*

Dionyſius de Saldaña Secretarius.

CENSVRA VNIVERSITATIS Vrſaonenſis.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen. Notum ſit omnibus per hoc iuridicum inſtrumentum, quòd anno à Natiuitate Domini milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimoſexto, die verò decimaſexta menſis Ianuarij, in Oppido Vrſaonenſi, eius inſignis Vniuerſitas in pleno clauſtro congregata, pariter conuenientibus Doctoribus omnium Facultatum, quibus præerat D.D. Franciſcus de Leyva dictæ Vniuerſitatis, necnon & maioris Collegij Rector, qui omnibus ſic adſtantibus enunciauit, Excellentiſſimum D. D. Gaſparem Tellez Giron Ducem de Vzeda, Marchionem de Peñafiel, eiuſdémque Vniuerſitatis iure hæreditario Patronum, ſibi tradidiſſe librum manuſcriptum in laudem Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, cuius

ius cultui ipse Excellentissimus Princeps, eiusdémque Excellentissimi Progenitores semper fuerunt addicti, elaboratum sub titulo, *Geminum sydus Mariani diadematis*, Authore R. P. Ioanne de Cardenas, Rectore Collegij de Marchena Ordinis Societatis IESV, vt ab Vniuersitate (si ita esset fas) approbaretur. Quo gratanter audito, omnes Doctores, nemine discrepante, decreuerunt, tam graue negotium committi debere Reuerendo P. M. Fr. Cypriano de Pineda Facultatis Theologicæ Decano, & Reuerendo P.M.Fr. Saluatori Porcel Vesperario Cathedratico eiusdem Facultatis, quibus hæc cura demandata est, & acceptata, vt dicto Libro auidè perlecto, reque maturè considerata, sententiam ferrent, & coram dicta Vniuersitate propalarent. Quod & factum est die decima mensis Martij: qui prædicti duo Patres Magistri vnà dixerunt, prædictum librum à Reuerendo, & Doctissimo P. Ioanne de Cardenas compositum, accuratè ac sedulò perlegisse, nihílque in eius doctrina (licèt singulari, & opposita sententiæ, quæ in hac re hodie communiter docetur) sacris literis, ac bonis moribus quoquo modo aduersum reperisse: quin imò sui Authoris ingenij maximam felicitatem, subtilitatem, necnon & eruditionem, non modicùm elucere; atque etiam dexteritatem cum claritate earum, quas sibi obiicit, difficultatum, & aliarum, quæ à nobis ipsi sunt missæ, enodatione. Quapropter quæ in eo probat, & intendit, verè nobis probabilia videntur, dignaque quòd typis mandentur.

Quo audito Doctores, & Magistri omnes vna voce expedire dixerunt, quòd Dominus Rector

præci

præciperet, approbationem prædictam, & postulatam, à Notario Apostolico, & Secretario prædictæ Vniuersitatis roborari, ac suo Authori cum gratulatione remitti, cum subscriptione Domini Rectoris, & prædictorum Patrum Magistrorum, anno, mense, die vt suprà.

D. Franciscus de Leyva, & Aguilar, Rector. *Mag. Fr. Cyprianus de Pineda, Decanus.*

Magister Fr. Saluator Porcel.

De mandato Domini Rectoris,

Doctor Ioannes Brauo de Morales, Notarius & Secret.

FRAGMENTVM EPISTOLÆ Illustrissimi Domini D. Fr. Francisci Guerra Episcopi olim Gaditani, mox Placentini, Oratoris Catholicæ Maiestatis pro Immaculata Conceptione Diuæ Virginis coram Summo Ecclesiæ Principe, ex Ordine D. Francisci, ad Authorem.

ENtre las obligaciones, que reconocerè siempre al Excelentissimo Señor Duque de Arcos, de verdad, pondrè en buen numero, y me confessarè deudor de auerme prestado meritos, para que V.P. me aya fauorecido con sus escritos, dandome ocasion de alumbrarme con ellos, y honrrandome,

con

con que diga a cerca dellos mi ſentir. Los aſſuntos tienen toda dignidad, y eſtan muy graue, y doctamente proſeguidos. Y ſolo podemos los criados en la Eſcuela de Eſcoto, quedar con algunos zelos, de que nos le paſſen à la ſentencia contraria, a cauſa de que por acà communmente le tiene por de ſu mente el termino prefixo de la ſummidad de las qualidades, y aſſi lo hemos leido en las materias de los habitos naturales, y ſobrenaturales. Pero la parte eſtà tan amparada con la nobleza de ſu aſſunto, y fortalecida con la erudicion de ſu Autor, que và bien ſegura de qualquiera opoſicion:::: Cadiz y Iulio 11. de 1654.

Fr. Franciſco Obiſpo de Cadiz.

QVOD SIC VERTERE LICET IN *Latinum ſermonem, propter Hiſpani idiomatis ignaros.*

INter beneficia, quæ ſemper accepta referam Excellentiſſimo Domino Duci Arcobrigæ, mihi fides, in ſublimi gradu conſtituam, meque debitorem fatebor, quòd mihi merita præſtiterit, vt ſcriptis tuis mihi fauorem contuleris, occaſionem tribuens accipiendi ab eis lucem, meque eo afficiens honore, quòd circa ipſa meam cenſuram proferam. Aſſerta omnimodâ pollent dignitate, & valde grauiter, & doctè tractata ſunt. Solumque qui in Schola Scoti educati fuimus, poſſumus aliqua tangi æmulatione, quòd illum transferant in oppoſitam partem, eo quòd inter nos communiter

exiſti

existimatur esse iuxta eius mentem terminus præfixus summitati qualitatum, & ita nos docuimus in tractatibus de habitibus naturalibus, & supernaturalibus. Cæterùm ea pars adeò munita est nobilitate ipsius asserti, adeóque roborata eruditione Authoris, vt valde secura procedat à qualibet oppositione. : : : Gadibus, die vndecima Mensis Iulij, anni 1654.

Fr. Franciscus, Episcopus Gaditanus.

FRAGMENTVM EPISTOLÆ Illustrissimi Domini D. Fr. Thomæ de Paredes Episcopi Claudiensis, ex Ordine D. Augustini, ad Excellentissimum Ducem vrbis Arcobrigæ.

MVcho fauor me ha hecho V. E. mandandome ver el Tratado del Padre Ioan de Cardenas, que yo he leido con grande contento, y admiracion. Discurre en los dos puntos grandemente, y con sus eficaces razones los haze probables, &c. : : : *Saluo meliori iudicio Doctorum*, y debazo de la correccion de la Santa Madre Iglesia; por los principios por donde el Autor prueua la infinidad que le dà a la Maternidad de la Virgen Sanctissima *in genere moris*, y la infinidad que le pan a su gracia santificante, con la respuesta que dà a todas las objecciones contrarias, y con la differencia que halla reconociendo la superioridad que Christo Señor nuestro haze a su Madre en

la

la gracia, y en las demas consequencias à ella, juzgo las dos sentencias referidas por probables, &c.::: De Granada, y Septiembre 8. de 1654.

Fr. Thomas Obispo de Claudio.

QVOD ITA CONVERTERE LICET in Latinum sermonem.

MAgnum mihi fauorem contulit Exc. V. iubens me videre tractatum P. Ioannis de Cardenas, quem legi ingenti cum lætitia, & admiratione. Discurrit egregiè circa ea duo asserta, & suis efficacibus rationibus suadet, ea esse probabilia, &c. ::: Saluo meliori iudicio Doctorum, & sub correctione Sanctæ Matris Ecclesiæ, per ea principia, quibus Author probat infinitatem, quam attribuit Maternitati Virginis Sanctissimæ in genere moris, & infinitatem, quam attribuit eius gratiæ sanctificanti, vnà cum solutione, quam exhibet omnibus obiectionibus oppositis, si simul cum discrimine, quod aduertit, agnoscens excessum, quo Christus Dominus superat in gratia Matrem suam, cum cæterisque illius consequentiis, duo asserta relata iudico probabilia, &c. ::: Granatæ die octaua Septembris, anni 1654.

Fr. Thomas, Episcopus Claudiensis.

CENSVRA R. A. P. MAGISTRI Fr. Pauli Ramirez de Bermudo, Ordinis B. Virginis de Mercede, in Conuentu huius Sacri Ordinis Hispalensi Studiorum Regentis, Apud Quæsitores Fidei Censoris, in Diœcesi Hispalensi Examinatoris Synodalis, olim in Conuentu Astigiensi Commendatoris.

VT vidi hoc singularis pietatis, necnon & singularis doctrinæ opus R. A. P. Ioannis de Cardenas Sacræ Societatis IESV, inuitabat me maximè excellens superscriptio eius, *Geminum sydus Mariani diadematis*, vt inter tot, tantaque laborum impedimenta, illius inspectioni sedulus vacarem. Cœpi legere, & accuratè meditari: & dum oculis mentis scripta eius perlustraui, terrebat me omnium Theologorum nostri sæculi celebrata cohors, & authoritas: quorum nullus gratiam habitualem collatam Virgini infinitam agnouit, vt refert sapientissimus Magister Ioannes Martinez de Ripalda entium supernaturalium exactissimus indagator *tom. 2. lib. 4. disp. 79. sect. 7.* Tamen in trutina veritatis iusta (vt ipse Author in Prologo huius operis enixè exoptat) proprium prolaturus iudicium, nihil inueni in eo improbabile, nihil orthodoxæ fidei contrarium, nihil bonis contradicens moribus; quin potiùs duas disputationes in hoc opere contentas, & sedulò elaboratas, tanquam geminum sydus, communi vtilitati valde proficuas reperio. Sic sentio sub correctione Sanctæ Matris Ecclesiæ, &c. In hoc Conuentu

Hispa

Hiſpalenſi Sacri ordinis Sanctiſſimæ Deiparæ de Mercede Redemptionis Captiuorum. Die 20. Septembris, anno Domini 1656.

M. Fr. Paulus Ramirez. de Bermudo.

CENSVRA R. A. P. IOANNIS *Cauallero Societatis IESV, in Collegio Cordubenſi Primarij Theologiæ Profeſſoris, eiuſdemque Collegij Gymnaſiarchæ, mox Collegij Montellani Rectoris.*

IVſſu R.A.P. Franciſci Franco, Viſitatoris noſtræ Prouinciæ Bœticæ, legi Cenſor hunc tractatum continentem duplex ſydus Coronæ Marianæ, ideſt, duplicem quæſtionem de infinitate abſoluta Maternitatis Mariæ, & de infinita gratia ſimpliciter ſanctificante illius, Authore P. Ioanne de Cardenas. Et, vt verum fatear, gratiſſimum mihi hoc imperium accidiſſet, ni rem omnino temeritate plenam iuſſiſſet, ſcilicet ſcrutari ſyderum Marianorum deliquia, & defectus; cùm vel numerare ipſas ſtellas, ſit res impoſſibilis, teſte ipſo Deo ita loquente ad Abrahamum, *Numera Stellas, ſi potes.* Nihilominùs tamen attentus legi, & cautus luſtraui, ſuſpenſo tamen pede, quæſtiones has ita inſolitas: doctrinamque inueni benè ſartam, tectamque authoritate Patrum, & Doctorum antiquorum, quos Authorem accuratè euoluiſſe conſtat. Fundamenta à ratione petita ſatis effica-

gia sunt; congruentissiméque soluit rationes, quæ obesse possent: & ita plene omnia tractat in his suis inuentis, vt primus sit, qui falsum reddiderit commune illud pronunciatum, *Facile est inuentis addere:* nam nil difficilius est, quàm huic tractatui addere quidquam. Vnus tamen mihi displicet titulus inscribens Opus, Geminum sydus coronæ Marianæ: nam integra corona est, qua possit tantæ Principissæ caput ornari sufficienter: & nostræ Societatis corona magna est, iam in deuexa ætate hunc tandem filium protulisse, qui ita promouet decus Marianum. Quapropter par est, vt typis perennet Opus hoc cedro dignum. Ita censeo, ita opto, ô faxit Deus. In hoc nostro Collegio Cordubensi Soc. IESV, 20. die mensis Iunij, anni 1659.

Ioannes Cauallero.

CENSVRA R. A. P. DIDACI RVIZ Societatis IESV, in Collegio Hispalensi Theologiæ Professoris, mox Collegij Vrsaonensis semel, & iterum Rectoris.

CVm Excellentissimus Dominus D. Gaspar Tellez Giron, Dux de Vzeda, Marchio de Peñafiel pro suo in Deiparam affectu, suæ huic Vniuersitati Vrsaonensi examinandum proponere voluisset tractatum istum à P. Ioanne de Cardenas Rectore Collegij Marcenensis Societatis IESV editum, quem meritò nuncupauit Geminum

num ſydus Mariani diadematis ; voluit, & iuſſit, vt meum priùs de illo iudicium proferrem. Eoque auidè, & curiosè perlecto, nihil inueni ſuo authore non dignum : cuius pietatem, ingenium, & eruditionem iam diu cum admiratione expertus ſum, & nunc denuò laudo, & miror, quia opus aggreſſus extra vulgarem, & communem ſenſum, non vulgari, ſed plena, & exquiſita eruditione illuſtrauit. Adeò vt ſententiam ſuam, quam aliqui nondum euolutam, vt nouam calumniati ſunt, tot, tamque apertis teſtimoniis firmet, vt ea videatur trita, & inconcuſſa ferè omnium Patrum mens. Quibus non contemnendum addit rationis pondus, & magni faciendum pietatis in Deiparam fundamentum. Quod quia ita cenſeo, placuit ſenſum meum eidem Excellentiſſimo ſic proponere, vt non dubitaret, Opus ſanè & ſua pietate, & celſitudine dignum aggredi, ſi opus, & authorem protegeret, efficeretque grauiſſimæ ſuæ huius Vniuerſitatis ſuffragiis ſententiam firmari. Quam ipſe quoque meo qualicumque tanquam probabilem ſatis, piam, catholicæ doctrinæ, & bonis moribus non repugnantem, dignamque vt lucem videat, vt ſic etiam lucem det Mariano diademati, ſuffragio firmo. In hoc Collegio Societatis IESV Vrſaonenſi, die 1. menſis Ianuarij, anni 1656.

Didacus Ruiz.

CENSVRA R. A. P. NICOLAI Martinez, olim in Collegio Cordubensi Societatis IESV, nunc denuò in Collegio Romano eiusdem Societatis Primarij Theologiæ Professoris; necnon R. A. P. Sebastiani Sanchez eiusdem Societatis in eodem Collegio Cordubensi Theologiæ Professoris Primarij.

TAm sedula mentis, quàm iucunda meditatione vidimus Geminum sydus coronæ Marianæ: maximum in non magno volumine opus, in quo R. P. Ioannes de Cardenas nostræ Societatis sapientissimus Theologus infinitatem simpliciter, & dignitati Matris, & gratiæ habituali Deiparæ nouiter attribuit: decus singulari creaturæ singulare, piè inuentum, acutè discussum, feliciter comprobatum. Assumpti nouitatem satis temperat, & florida sanctorum Patrum authoritas, & efficax rationum soliditas.

Sub illa duodecim Stellarum corona, qua cinctum magnæ mulieris caput in cœlo vidit Euangelista Ioannes, priuilegia Mariæ senserunt Patres luculenter adumbrata. Neque enim alia Virginis aptior vmbra, quàm mera lux. Sed quanta hæc! Quàm sublimis! Sanè sicut cœlestia lumina distantibus in terra oculis minora, quàm in se sunt, apparent; ita penè diuina Virginis priuilegia vel diminuit humanæ cogitationis distantia, vel saltem maiori ex parte non capit. Quàm verò stolidum, non maiora credere, quia non apparent maiora! Vel

ipsi

ipsi Deiparæ fuisse ineffabilia, quæ in eius gratiam *Fecit magna, qui potens est*, credidit Augustinus. *Audacter*, inquit, *pronuncio, quòd nec ipsa plenè explicare potuit, quod capere potuit.* Et alibi: *Ineffabilem sanctificationis gratiam* in Maria non est veritus asserere, sed ecce sapientissimi Doctoris ingenium viam effandi ineffabilia suppeditat, dum eorum infinitatem acutissimè defendit. *In Magnif. tõ. 9 Serm. de Assump.*

Sincero iudicio fatemur, opus planè probabile, publica luce, publico plausu dignum; nihil enim in eo non graue, nihil non solidum, nihil non illustre. Vtinam reliqua dena sydera ab eiusdem ingenio elaborata prodeant in lucem, vt pleno Marianæ dignitatis diademate fruamur fideles, magnæ Matris alumni. Hæc sufficiant pro modesta erga nostratem Authorem laudatione, cùm pro dignitate operis nulla sufficerent. In hoc Collegio Societatis IESV Cordubensi 4. Kalendas Iulias ann. 1659.

Nicolaus Martinez.

Sebastianus Sanchez.

APPROBATIO DOCTORVM.

GEminum Sydus Mariani Diadematis, &c. à R. P. Ioanne de Cardenas Societatis IESV, vndique refulgens, lumen dispergit, ideoque luce dignum iudicamus nos infrà scripti Facultatis Parisiensis Doctores Theologi. Datum Lugduni die Iunij 23. anni reparatæ salutis 1673.

F. PAVLVS LOMBARD.
F. E. VIAL.

Licentia Ordinarij.

VIsis Doctorum Approbationibus Editioni prædicti gemini Syderis Mariani annuimus. Lugduni 23. Iunij 1673.

MORANGE *Prouicarius Generalis.*

Con

Consensus Procuratoris Regij.

VIsa approbatione DD. Facultatis Parisiensis, Ego pro Rege assentior, vt liber inscriptus *Geminum sydus Mariani Diadematis R. P. Cardenas* prælo mandetur à LAVRENTIO ARNAVD, & PETRO BORDE, sociis Bibliopolis Lugdunensibus, cum inhibitionibus consuetis. Datum Lugduni, die 23. Iunij 1673.

VAGINAY.

Permissio.

FIat iuxta conclusiones Procuratoris Regij. Lugduni die 23. Iunij 1673.

DE SEVE.

INDEX

INDEX DISPVTATIONVM, Capitum, & Articulorum, quæ in hoc Opuſculo continentur.

PROLOGVS. pag. 1

DISPVTATIO PRIOR.

An dignitas Matris Dei ſit ſimpliciter infinita in genere moris? 3

CAP. I. ASSERITVR concluſio, & firmatur authoritate Patrum, & Doctorum veterum. ibid.

II. Teſtimonio Doctoris Angelici, huius dignitatis infinitudo confirmatur. 19

III. Teſtimonia Recentiorum Doctorum pro eadem virgineæ dignitatis infinitate. 25

IV. Proponitur primum argumentum pro infinitudine huius dignitatis. 32

V. Aliud argumentum pro eadem infinitudine dignitatis. 40

VI. Maternitatem Dei eſſe ſummam dignitatem poſſibilem puræ creaturæ, rationi

rationibus confirmatur. pag. 50
VII. Aliis rationibus roboratur eadem conclusio. 60
VIII. Occurritur obiectionibus. 62

DISPVT. POSTERIOR.

An B. Virgo habuerit gratiam simpliciter infinitam? 69

CAP. I. STatuitur possibilitas gratiæ simpliciter infinitæ. ibid.
II. Aliud notabile præmittitur. 81
III. S. Anselmi, Doctorumque veterum sectatorum eius authoritate stabilitur infinitudo sanctitatis B. Virginis. 86
IV. Eadem conclusio aliorum Ecclesiæ Patrum authoritate firmatur. 109
V. Aliorum Patrum, & veterum Doctorum testimoniis conclusio vlteriùs roboratur. 112
VI. Doctores Recentiores, qui eandem conclusionem tuentur. 118
VII. Patres, & Doctores adstruentes gratiam B. Virginis infinitam, & immensam. 124

VIII.

VIII. Primum argumentum desumptum ex dignitate Matris Dei. 135
IX. Secundum argumentum ex authoritate Sacræ Paginæ petitum. 140
X. Reliqua Sacræ Scripturæ testimonia pro eadem sententia. 147
XI. Tertium argumentum ex infinito amore, quo Deus B. Virginem prosequitur. 153
XII. Quartum argumentum petitum ex summa coniunctione B. Virginis cum Deo. 155
XIII. Quintum desumptum ab excessu Maternitatis supra gratiam. 159
XIV. Sextum argumentum ex adoratione Deiparæ debita petitum. 160
XV. Septimum argumentum ex dispositione præuia ad Incarnationem. 172
XVI. Octauum argumentum, ex eo, quod B. Virgo habuit actum infinitè meritorium. 177
XVII. Nonum argumentum, ex eo, quòd B. Virgo sit principium vniuersale donorum gratiæ. 192
XVIII. Decimum argumentum petitum ex naturali debito honorandi parentes. 200
XIX.

XIX. Vndecimum argumentum ex obligatione B. Virginis diligendi Deum summo amore possibili. 205
XX. Duodecimum argumentum, ex eo, quòd B. Virgini quidquid maximum concedendum est. 209
XXI. Soluitur prima difficultas de infinitudine meritorum B. Virginis. 215
XXII. Satisfit secundæ difficultati desumptæ ex infinita visione beatifica Virgini debita. 222
Art. I. Propositio difficultatis. ibid.
Art. II. Visionem B. Virginis esse infinitam, & maximam, quæ possibilis est in pura creatura, authoritate probatur. 224
Art. III. Capita probationum breuiter instaurantur. 233
Art. IV. Dissoluitur argumentum art. 1. propositum, & prima eius probatio. 242
Art. V. Respondetur ad secundam probationem eius argumenti. 251
Art. VI. Corollarium ex dictis de infinita intensione actuum Deiparæ. 252
XXIII. Tertia difficultas ex inæqualitate

gratiæ

gratiæ Christi, & Deiparæ. 257
XXIV. Quarta difficultas, quòd hæc doctrina non conueniat cum vera Philosophia de gradibus homogeneis, & heterogeneis. 267
XXV. Quinta difficultas de tempore, à quo cœpit habere gratiam infinitam, & totam possibilem. 272
Art. I. Proponitur difficultas. ibid.
II. B. Virginem à tempore Incarnationis accepisse summam gratiam sibi possibilem, authoritate probatur. 274
III. Rationibus probatur idem assertum. 283
IV. Aliud assertum ante solutionem argumenti proponitur. 289
V. Soluitur argumentum art. I. propositum, & duplex instantia. 300
XXVI. Sexta difficultas orta ex condigna satisfactione pro peccato lethali. 310
XXVII. Oppositiones cuiusdam Recentioris soluuntur. 313
XXVIII. Duæ aliæ difficultates denuò nobis obiectæ. 333

PROLO

GEMINVM SIDVS MARIANI DIADEMATIS,

Duplici Diſputatione abſoluti.

PROLOGVS.

Assvmo probandam, & multis confirmandam gratiam ſanctificantem B. Virginis infinitè intenſam. Quam concluſionem vel in ipſo tractationis limine fortè mirabuntur multi, vel etiam abhorrebunt, putantes, eam potiùs ex licentia opinandi profectam, quàm ex iuſta veritatis trutina. Obſecro autem Lectores meos (quos in hac lite iudices non recuſo) vt inauditâ parte iudicium non proferant, ſed cenſuram pauliſper differant, donec hoc breui opuſculo perfecto, grauia videant fundamenta, quibus hæc concluſio

nititur,

existimatur esse iuxta eius mentem terminus præfixus summitati qualitatum, & ita nos docuimus in tractatibus de habitibus naturalibus, & supernaturalibus. Cæterùm ea pars adeò munita est nobilitate ipsius asserti, adeóque roborata eruditione Authoris, vt valde secura procedat à qualibet oppositione. : : : Gadibus, die vndecima Mensis Iuij, anni 1654.

Fr. Franciscus, Episcopus Gaditanus.

FRAGMENTVM EPISTOLÆ Illustrissimi Domini D. Fr. Thomæ de Paredes Episcopi Claudiensis, ex Ordine D. Augustini, ad Excellentissimum Ducem vrbis Arcobrigæ.

MVcho fauor me ha hecho V. E. mandandome ver el Tratado del Padre Ioan de Cardenas, que yo he leido con grande contento, y admiracion. Discurre en los dos puntos grandemente, y con sus eficaces razones los haze probables, &c. : : : *Saluo meliori indicio Doctorum*, y debazo de la correccion de la Santa Madre Iglesia; por los principios por donde el Autor prueua la infinidad que le dà a la Maternidad de la Virgen Sanctissima *in genere moris*, y la infinidad que le pan a su gracia santificante, con la respuesta que dà à todas las objecciones contrarias, y con la differencia que halla reconociendo la superioridad que Christo Señor nuestro haze a su Madre en

la

la gracia, y en las demas consequencias a ella, juzgo las dos sentencias referidas por probables, &c. ::: De Granada, y Septiembre 8. de 1654.

Fr. Thomas Obispo de Claudio.

QVOD ITA CONVERTERE LICET in Latinum sermonem.

MAgnum mihi fauorem contulit Exc. V. iubens me videre tractatum P. Ioannis de Cardenas, quem legi ingenti cum lætitia, & admiratione. Discurrit egregie circa ea duo asserta, & suis efficacibus rationibus suadet, ea esse probabilia, &c. ::: Saluo meliori iudicio Doctorum, & sub correctione Sanctæ Matris Ecclesiæ, per ea principia, quibus Author probat infinitatem, quam attribuit Maternitati Virginis Sanctissimæ in genere moris, & infinitatem, quam attribuit eius gratiæ sanctificanti, vna cum solutione, quam exhibet omnibus obiectionibus oppositis, si simul cum discrimine, quod aduertit, agnoscens excessum, quo Christus Dominus superat in gratia Matrem suam, cum cæterisque illius consequentiis, duo asserta relata iudico probabilia, &c. ::: Granatæ die octaua Septembris, anni 1654.

Fr. Thomas, Episcopus Claudiensis.

CENSVRA R. A. P. MAGISTRI Fr. Pauli Ramirez de Bermudo, Ordinis B. Virginis de Mercede, in Conuentu huius Sacri Ordinis Hispalensi Studiorum Regentis, Apud Quæsitores Fidei Censoris, in Diœcesi Hispalensi Examinatoris Synodalis, olim in Conuentu Astigiensi Commendatoris.

VT vidi hoc singularis pietatis, necnon & singularis doctrinæ opus R.A.P. Ioannis de Cardenas Sacræ Societatis IESV, inuitabat me maximè excellens superscriptio eius, *Geminum sydus Mariani diadematis*, vt inter tot, tantaque laborum impedimenta, illius inspectioni sedulus vacarem. Cœpi legerè, & accuratè meditari: & dum oculis mentis scripta eius perlustraui, terrebat me omnium Theologorum nostri sæculi celebrata cohors, & authoritas: quorum nullus gratiam habitualem collatam Virgini infinitam agnouit, vt refert sapientissimus Magister Ioannes Martinez de Ripalda entium supernaturalium exactissimus indagator *tom.* 2. *lib.* 4. *disp.* 79. *sect.* 7. Tamen in trutina veritatis iusta (vt ipse Author in Prologo huius operis enixè exoptat) proprium prolaturus iudicium, nihil inueni in eo improbabile, nihil orthodoxæ fidei contrarium, nihil bonis contradicens moribus; quin potiùs duas disputationes in hoc opere contentas, & sedulò elaboratas, tanquam geminum sydus, communi vtilitati valde proficuas reperio. Sic sentio sub correctione Sanctæ Matris Ecclesiæ, &c. In hoc Conuentu Hispa

Hiſpalenſi Sacri ordinis Sanctiſſimæ Deiparæ de Mercede Redemptionis Captiuorum. Die 20. Septembris, anno Domini 1656.

M. Fr. Paulus Ramirez. de Bermudo.

CENSVRA R. A. P. IOANNIS Cauallero Societatis IESV, in Collegio Cordubenſi Primarij Theologiæ Profeſſoris, eiuſdemque Collegij Gymnaſiarchæ, mox Collegij Montellani Rectoris.

IVſſu R.A.P. Franciſci Franco, Viſitatoris noſtræ Prouinciæ Bœticæ, legi Cenſor hunc tractatum continentem duplex ſydus Coronæ Marianæ, ideſt, duplicem quæſtionem de infinitate abſoluta Maternitatis Mariæ, & de infinita gratia ſimpliciter ſanctificante illius, Authore P. Ioanne de Cardenas. Et, vt verum fatear, gratiſſimum mihi hoc imperium accidiſſet, ni rem omnino temeritate plenam iuſſiſſet, ſcilicet ſcrutari ſyderum Marianorum deliquia, & defectus; cùm vel numerare ipſas ſtellas, ſit res impoſſibilis, teſte ipſo Deo ita loquente ad Abrahamum, *Numera Stellas, ſi potes.* Nihilominùs tamen attentus legi, & cautus luſtraui, ſuſpenſo tamen pede, quæſtiones has ita inſolitas: doctrinamque inueni benè ſartam, tectamque authoritate Patrum, & Doctorum antiquorum, quos Authorem accuratè euoluiſſe conſtat. Fundamenta à ratione petita ſatis effica-

gia sunt; congruentissiméque soluit rationes,quæ obesse possent: & ita plene omnia tractat in his suis inuentis, vt primus sit, qui falsum reddiderit commune illud pronunciatum, *Facile est inuentis addere:* nam nil difficilius est,quàm huic tractatui addere quidquam. Vnus tamen mihi displicet titulus inscribens Opus, Geminum sydus coronæ Marianæ: nam integra corona est, qua possit tantæ Principissæ caput ornari sufficienter: & nostræ Societatis corona magna est, iam in deuexa ætate hunc tandem filium protulisse, qui ita promouet decus Marianum. Quapropter par est, vt typis perennet Opus hoc cedro dignum. Ita censeo, ita opto, ô faxit Deus. In hoc nostro Collegio Cordubensi Soc. IESV, 20. die mensis Iunij, anni 1659.

Ioannes Cauallero.

CENSVRA R.A.P. DIDACI RVIZ Societatis IESV, in Collegio Hispalensi Theologiæ Professoris, mox Collegij Vrsaonensis semel, & iterum Rectoris.

CVm Excellentissimus Dominus D. Gaspar Tellez Giron, Dux de Vzeda, Marchio de Peñafiel pro suo in Deiparam affectu, suæ huic Vniuersitati Vrsaonensi examinandum proponere voluisset tractatum istum à P. Ioanne de Cardenas Rectore Collegij Marcenensis Societatis IESV editum, quem meritò nuncupauit Geminum

num ſydus Mariani diadematis; voluit, & iuſſit, vt meum priùs de illo iudicium proferrem. Eoque auidè, & curiosè perlecto, nihil inueni ſuo authore non dignum: cuius pietatem, ingenium, & eruditionem iam diu cum admiratione expertus ſum, & nunc denuò laudo, & miror, quia opus aggreſſus extra vulgarem, & communem ſenſum, non vulgari, ſed plena, & exquiſita eruditiône illuſtrauit. Adeò vt ſententiam ſuam, quam aliqui nondum euolutam, vt nouam calumniati ſunt, tot, tamque apertis teſtimoniis firmet, vt ea videatur trita, & inconcuſſa ferè omnium Patrum mens. Quibus non contemnendum addit rationis pondus, & magni faciendum pietatis in Deiparam fundamentum. Quod quia ita cenſeo, placuit ſenſum meum eidem Excellentiſſimo ſic proponere, vt non dubitaret, Opus ſanè & ſua pietate, & celſitudine dignum aggredi, ſi opus, & authorem protegeret, efficeretque grauiſſimæ ſuæ huius Vniuerſitatis ſuffragiis ſententiam firmari. Quàm ipſe quoque meo qualicumque tanquam probabilem ſatis, piam, catholicæ doctrinæ, & bonis moribus non repugnantem, dignamque vt lucem videat, vt ſic etiam lucem det Mariano diademati, ſuffragio firmo. In hoc Collegio Societatis IESV Vrſaonenſi, die 1. menſis Ianuarij, anni 1656.

Didacus Ruiz.

CENSVRA R. A. P. NICOLAI Martinez, olim in Collegio Cordubensi Societatis IESV, nunc denuò in Collegio Romano eiusdem Societatis Primarij Theologiæ Professoris; necnon R. A. P. Sebastiani Sanchez eiusdem Societatis in eodem Collegio Cordubensi Theologiæ Professoris Primarij.

TAm sedula mentis, quàm iucunda meditatione vidimus Geminum sydus coronæ Marianæ: maximum in non magno volumine opus, in quo R. P. Ioannes de Cardenas nostræ Societatis sapientissimus Theologus infinitatem simpliciter, & dignitati Matris, & gratiæ habituali Deiparæ nouiter attribuit: decus singulari creaturæ singulare, piè inuentum, acutè discussum, feliciter comprobatum. Assumpti nouitatem satis temperat, & florida sanctorum Patrum authoritas, & efficax rationum soliditas.

Sub illa duodecim Stellarum corona, qua cinctum magnæ mulieris caput in cœlo vidit Euangelista Ioannes, priuilegia Mariæ senserunt Patres luculenter adumbrata. Neque enim alia Virginis aptior vmbra, quàm mera lux. Sed quanta hæc! Quàm sublimis! Sanè sicut cœlestia lumina distantibus in terra oculis minora, quàm in se sunt, apparent; ita penè diuina Virginis priuilegia vel diminuit humanæ cogitationis distantia, vel saltem maiori ex parte non capit. Quàm verò stolidum, non maiora credere, quia non apparent maiora! Vel ipsi

ipſi Deiparæ fuiſſe ineffabilia, quæ in eius gratiam *Fecit magna, qui potens eſt*, credidit Auguſtinus. *Audacter*, inquit, *pronuncio, quòd nec ipſa plenè explicare potuit, quod capere potuit.* Et alibi: *Ineffabilem ſanctificationis gratiam* in Maria non eſt veritus aſſerere, ſed ecce ſapientiſſimi Doctoris ingenium viam effandi ineffabilia ſuppeditat, dum eorum infinitatem acutiſſimè defendit. *In Magnif. tō. 9 Serm. de Aſſump.*

Sincero iudicio fatemur, opus planè probabile, publica luce, publico plauſu dignum; nihil enim in eo non graue, nihil non ſolidum, nihil non illuſtre. Vtinam reliqua dena ſydera ab eiuſdem ingenio elaborata prodeant in lucem, vt pleno Marianæ dignitatis diademate fruamur fideles, magnæ Matris alumni. Hæc ſufficiant pro modeſta erga noſtratem Authorem laudatione, cùm pro dignitate operis nulla ſufficerent. In hoc Collegio Societatis Iesv Cordubenſi 4. Kalendas Iulias ann. 1659.

Nicolaus Martinez.

Sebaſtianus Sanchez.

APPROBATIO DOCTORVM.

GEminum Sydus Mariani Diadematis, &c. à R.P. Ioanne de Cardenas Societatis IESV, vndique refulgens, lumen dispergit, ideoque luce dignum iudicamus nos infrà scripti Facultatis Parisiensis Doctores Theologi. Datum Lugduni die Iunij 23. anni reparatæ salutis 1673.

F. PAVLVS LOMBARD.
F. E. VIAL.

Licentia Ordinarij.

VIsis Doctorum Approbationibus Editioni prædicti gemini Syderis Mariani annuimus. Lugduni 23. Iunij 1673.

MORANGE *Prouicarius Generalis.*

Con

Consensus Procuratoris Regij.

VIsa approbatione DD. Facultatis Parisiensis, Ego pro Rege assentior, vt liber inscriptus *Geminum sydus Mariani Diadematis R. P. Cardenas* prælo mandetur à LAVRENTIO ARNAVD, & PETRO BORDE, sociis Bibliopolis Lugdunensibus, cum inhibitionibus consuetis. Datum Lugduni, die 23. Iunij 1673.

VAGINAY.

Permissio.

FIat iuxta conclusiones Procuratoris Regij. Lugduni die 23. Iunij 1673.

DE SEVE.

INDEX

INDEX DISPVTATIONVM, Capitum, & Articulorum, quæ in hoc Opuſculo continentur.

PROLOGVS. pag. 1

DISPVTATIO PRIOR.

An dignitas Matris Dei ſit ſimpliciter infinita in genere moris? 3

CAP. I. ASSERITVR concluſio, & firmatur authoritate Patrum, & Doctorum veterum. ibid.

II. Teſtimonio Doctoris Angelici, huius dignitatis infinitudo confirmatur. 19

III. Teſtimonia Recentiorum Doctorum pro eadem virgineæ dignitatis infinitate. 25

IV. Proponitur primum argumentum pro infinitudine huius dignitatis. 32

V. Aliud argumentum pro eadem infinitudine dignitatis. 40

VI. Maternitatem Dei eſſe ſummam dignitatem poſſibilem puræ creaturæ, rationi

rationibus confirmatur. pag. 50
VII. Aliis rationibus roboratur eadem conclusio. 60
VIII. Occurritur obiectionibus. 62

DISPVT. POSTERIOR.

An B. Virgo habuerit gratiam simpliciter infinitam? 69

CAP. I. Statuitur possibilitas gratiæ simpliciter infinitæ. ibid.
II. Aliud notabile præmittitur. 81
III. S. Anselmi, Doctorumque veterum sectatorum eius authoritate stabilitur infinitudo sanctitatis B. Virginis. 86
IV. Eadem conclusio aliorum Ecclesiæ Patrum authoritate firmatur. 109
V. Aliorum Patrum, & veterum Doctorum testimoniis conclusio vlteriùs roboratur. 112
VI. Doctores Recentiores, qui eandem conclusionem tuentur. 118
VII. Patres, & Doctores adstruentes gratiam B. Virginis infinitam, & immensam. 124

VIII.

VIII. Primum argumentum desumptum ex dignitate Matris Dei. 135
IX. Secundum argumentum ex authoritate Sacræ Paginæ petitum. 140
X. Reliqua Sacræ Scripturæ testimonia pro eadem sententia. 147
XI. Tertium argumentum ex infinito amore, quo Deus B. Virginem prosequitur. 153
XII. Quartum argumentum petitum ex summa coniunctione B. Virginis cum Deo. 155
XIII. Quintum desumptum ab excessu Maternitatis supra gratiam. 159
XIV. Sextum argumentum ex adoratione Deiparæ debita petitum. 160
XV. Septimum argumentum ex dispositione præuia ad Incarnationem. 172
XVI. Octauum argumentum, ex eo, quod B. Virgo habuit actum infinitè meritorium. 177
XVII. Nonum argumentum, ex eo, quòd B. Virgo sit principium vniuersale donorum gratiæ. 192
XVIII. Decimum argumentum petitum ex naturali debito honorandi parentes. 200
XIX.

XIX. Vndecimum argumentum ex obligatione B. Virginis diligendi Deum summo amore possibili. 205
XX. Duodecimum argumentum, ex eo, quòd B. Virgini quidquid maximum concedendum est. 209
XXI. Soluitur prima difficultas de infinitudine meritorum B. Virginis. 215
XXII. Satisfit secundæ difficultati desumptæ ex infinita visione beatifica Virgini debita. 222
Art. I. Propositio difficultatis. ibid.
Art. II. Visionem B. Virginis esse infinitam, & maximam, quæ possibilis est in pura creatura, authoritate probatur. 224
Art. III. Capita probationum breuiter instaurantur. 233
Art. IV. Dissoluitur argumentum art. 1. propositum, & prima eius probatio. 242
Art. V. Respondetur ad secundam probationem eius argumenti. 251
Art. VI. Corollarium ex dictis de infinita intensione actuum Deiparæ. 252
XXIII. Tertia difficultas ex inæqualitate gratiæ

gratiæ Christi, & Deiparæ. 257
XXIV. Quarta difficultas, quòd hæc doctrina non conueniat cum vera Philosophia de gradibus homogeneis, & heterogeneis. 267
XXV. Quinta difficultas de tempore, à quo cœpit habere gratiam infinitam,& totam possibilem. 272
Art.1. Proponitur difficultas. ibid.
II. B.Virginem à tempore Incarnationis accepisse summam gratiam sibi possibilem, authoritate probatur. 274
III. Rationibus probatur idem assertum. 283
IV. Aliud assertum ante solutionem argumenti proponitur. 289
V. Soluitur argumentum art.1.propositum, & duplex instantia. 300
XXVI. Sexta difficultas orta ex condigna satisfactione pro peccato lethali. 310
XXVII. Oppositiones cuiusdam Recentioris soluuntur. 313
XXVIII. Duæ aliæ difficultates denuò nobis obiectæ. 333

PROLO

GEMINVM SIDVS MARIANI DIADEMATIS,

Duplici Disputatione absoluti.

PROLOGVS.

ASSVMO probandam,& multis confirmandam gratiam sanctificantem B. Virginis infinitè intensam. Quam conclusionem vel in ipso tractationis limine fortè mirabuntur multi, vel etiam abhorrebunt, putantes, eam potiùs ex licentia opinandi profectam, quàm ex iusta veritatis trutina. Obsecro autem Lectores meos (quos in hac lite iudices non recuso) vt inauditâ parte iudicium non proferant, sed censuram paulisper differant, donec hoc breui opusculo perfecto, grauia videant fundamenta, quibus hæc conclusio

 nititur,

nititur. Quòd si in ipso statim initio, vt credo, mille occurrant difficultates contra eam conclusionem, patienter sustineant, donec ad postremam tractationis partem perueniant, quò eas reiici recta methodus postulat: quibus quàm probabiliter satisfiat, ipsi iudicabunt; attento præsertim totius tractationis contextu, ex quo multæ difficultates lucem accipiunt, quæ propterea ex numero obiectionum reiiciuntur. Interim tamen ad deponendum supercilium, quod hæc gratiæ infinitudo in aduersantium mẽtes induxerit; conuertant, quæso, animos ad infinitudinem mysterij, quod in B. Virgine almus Spiritus peregit. Nam, vt optimè Andreas Cretensis *orat. de dormit. Deipara*, ait: *Si quid, quod nos superat, in ipsa à Diuina dispensatum est natura, nemo miretur intuens ad nouum, & ineffabile, quod in ea peractum est, mysterium, ab omni infinitate infinities infinitè exemptum.*

Iam verò duodecim Disputationes meditabar, quæ totidem prærogatiuas excellentissimæ sanctitatis Diuæ Virginis continerent, quæque diadematis Apocalyptici sideribus duodecim aliquâ ratione coæquarentur: quod ideò opusculum Diadema siderum duodecim nuncupari cupiebam. Sed cùm longè diuersi generis negotiis animus impediretur, neque huic operi facilè vacare possem, sed sola diuturni temporis spes ad integrum opus peragendum remaneret;

placuit

placuit eas duas disputationes eligere, quæ maximas continent B. Virginis excellentias, quas propterea Geminum sidus Mariani diadematis appellaui : reliqua sidera mox daturus, si cœlum dederit, si B. Virgini placuerit, si auspicato sidere Opusculum istud lucem viderit.

DISPVTATIO PRIOR.

An dignitas Matris Dei sit simpliciter infinita in genere moris ?

C A P. I.

Asseritur conclusio, & firmatur authoritate Patrum, & veterum Doctorum.

POTISSIMVM huius opusculi propositum est infinitam Dei genitricis gratiam sanctificantem asserere, solidissimisque momentis stabilire. Quia tamen ea assertio à dignitate Maternitatis Dei dependet, in illaque maximè nititur; necessarium duxi, 1

hanc disputationem de infinitate Maternitatis præuiam mittere.

2. In qua non existimo necessarium probare, etiam in genere moris esse posse infinitatem: id enim satis clarè constat in valore meritorum Christi Domini. Præterquàm quod sicut in existimatione morali est inuenire magis, & minus; ita neque repugnabit inuenire infinitatem.

3. Igitur conclusio nostra continet duas partes, & dignitatem Maternitatis Dei esse simpliciter infinitam; & illam tantam esse, quanta possibilis est in pura creatura, adeò vt omninò impossibilis sit maior dignitas in pura creatura. In quo id maximè notandum est, omnia authoritatis, & rationis momenta, quæ probant hanc esse maximam omnium possibilium dignitatem, nullamque in pura creatura esse possibilem maiorem, æquè probare, illam esse simpliciter infinitam. Nam vt probabo *disp. sequenti, cap.* 2. præcipuè §. 30. hæc est legitima consequentia (præcipuè in materia capaci augmenti maioris, & maioris:) si istud rei augmentum finitum est, possibile vtique est aliud maius; si autem hoc tale est, vt non sit possibile aliud maius, istud non finitum, sed infinitum reputari debet. Quæ consequentia quàm rectè valeat in hac materia de Maternitate Dei, summa possibili inter dignitates puræ creaturæ, ibidem constabit.

Ex eo quod non sit possibilis maior dignitas, infertur esse infinitam.

4. Quamplurimi sunt Doctores, qui asserunt,

runt, hanc Matris dignitatem omnium possibilium in pura creatura maximam esse. Quorum testimonia pretiosiora mihi sunt, quàm quæ apertè dicunt, eam esse infinitam, immensam, illimitatam: nam faciliùs hæc poterunt vt hyperbolica explicari; alia autem clarè inferunt infinitatem, quam intendimus. *Plurimi asserentes, hanc dignitatem esse omniũ possibilium maximam.*

5. Agmen veterum Doctorum ducat S. Anselmus, qui *lib. de Excell. Virg. cap.* 4. docet, nihil posse cogitari, vel percipi, quod tantæ dignitati sit comparabile. *Estne, putatis,* inquit, *vlla mens hominis, quæ modum huius dilectionis, quam Deus ad hanc Virginem habuit, queat penetrare: quando & illi, quod charius amabat, sic integrè seruabat, vt eam tam dignè, & castè fœcundatam sui ipsius Matrem fecit. Potestne, quæso, vllus hominum aut Angelorum, istius amoris immensitatem penetrare, vel dignitati honoris illius quidquam cogitatu percipere comparabile?* Quod si nihil cogitatione percipi valet comparabile cum ea dignitate; rectè inferam, eam esse omnium excogitabilium dignitatum maximam, atque adeò esse debere infinitam, iuxta proximè dicta. Nec minùs rem extollunt verba Anselmi, quæ refert Pelbartus infrà allegandus §. 19. sed luculentiora sunt, quæ scripsit ibidem, c. 4. *Hoc solum de sancta Virgine prædicari, quòd Dei Mater est, excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici, vel cogitari potest.* *S. Anselm.*

6. S. Bernard. Idem docet satis apertè S. Bernardus *in medit. super Salue Regina*, dum asserit, nihil maius habere potuisse B. Virginem, quàm eam Matris dignitatem, illis verbis: *Neque enim circa suum filium ampliùs potuit eleuari, quàm vt Mater Dei vocaretur.* Si enim dignitas creaturæ tantò magis crescit, quantò Deo magis accedit, si non potuit ad Deum magis eleuari, quàm Maternitate; neque aliquam dignitatem maiorem habere potuit.

7. S. Petr. Dam. S. Petrus Damianus *serm.* 44. *in Natiu. B. Mariæ*, eidem sententiæ subscribit in hæc verba: *Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ Diuinitatis infra sui ventris concludit arcanum? Attende Seraphim, & in illius superioris naturæ superuola dignitate: & videbis, quidquid maius est, minus Virgine: solumque opificem opus istud supergredi.* In quo contextu tria notatione digna sunt. Primum, loqui eum de dignitate Matris Dei, vt liquet ex iis verbis, *Infra sui ventris concludit arcanum.* Secundum, loqui de magnitudine, quæ ei ex hoc Matris titulo conuenit. Tertium, solum opificem superare hanc dignitatem Mariæ: quod verum esse non posset, si possibilis esset creatura alia maioris dignitatis. Quare paulò inferiùs hanc dignitatem colligit esse immensam. *Hic taceat*, inquit, *& contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis, & dignationis immensitatem.* Vt non

imme

immeritò dixerim, rectè colligi dignitatis infinitatem ex eo, quòd illa sit maxima dignitas possibilis in pura creatura.

S. Bonauentura id ipsum disertè testatur *in 3. dist. 9. art. 1. q. 3. in corp.* ita asserens: *Excellentissimum nomen habet, ita quòd excellentius puræ creaturæ conuenire non potest.* Et paulò post explicat de quo nomine loquatur. Ait enim: *Hoc autem nomen est, quòd Virgo existens Dei Mater est.* Quem contextum integrum inuenies *disp. sequenti, §. 159.* 8. *S. Bonau.*

9. Præterea *in 1. dist. 44. dub. 3.* dum versat eam quæstionem Magistri, *Vtrùm Deus possit facere meliora?* Inquirit, an repugnet, quòd Deus faciat creaturam Deiparâ nobiliorem? Et soluit dubium his verbis: *Si quantum ad conceptionem prolis, sic, quia fuit Mater Dei, quo nihil nobilius cogitari potest, & Mater nobilissimi Filij: sic tantam habuit bonitatis dignitatem, quòd nulla mulier amplius capere potuit. Si enim omnes creaturæ, quantumcumque ascenderent in gradibus nobilitatis, essent præsentes, omnes deberent reuerentiam Matri Dei.* Nec te conturbet, quòd dixerit, nullam mulierem amplius capere potuisse, quasi vir, vel Angelus ampliorem capere dignitatem potuerit: nam statim, vt se explicaret, assertum suum ad omnes creaturas extendit, omnes pronuncians inferiores fore. Et deinde nota, loqui Bonauenturam de summa dignitate possibili, & excogitabili,

cùm non patiatur, aliquid Matre Dei nobilius cogitari posse.

10. *S. Ambr. Guarricus.* S. Ambrosius fauet etiam huic sententiæ verbis infrà referendis *disp. sequenti*, §. 56. Eiusdem planè sententiæ est Guarricus Abbas allegandus *disp. seq.* §. 69. vbi inter alia ait: *Cùm concepisse SanctumSanctorum summa sanctificatio sit.* Id est, summa radix sanctificationis. Lege loco citato integrum testimonium, & manifestò comperies, ex sententia huius magni Abbatis hanc Maternitatem esse maximam dignitatem possibilem in pura creatura.

11. *Albertus.* Pro eadem sententia militat Albertus Magnus *lib.* 1. *de laudibus Virginis, cap.* 180. Initio enim quærit, *vtrum possit intelligi maior gratia pura creatura participari, quàm esse Matrem Dei?* Et concludit tandem: *Ex his manifestum est, quòd maior gratia non potest intelligi pura creatura participari, quàm esse Matrem Dei.* Et *cap.* 178. ait: *Dominus B. Virgini summum donauit, cuius capax fuit pura creatura, scilicet Dei Maternitatem.*

Et in tractatu, quem vocat Biblia B. Virginis, *in cap.* 2. *Luc.* ad ea verba, *Gratiâ plena*, ita habet: *Plenitudo ergo B. Virginis priuat vacuitatem. Quamdiu enim vas potest recipere aliquid, tamdiu aliquid habet de vacuitate. Vide omnis alia creatura aliquid vacuitatis habuit, quia maiorem gratiam recipere potuit. Ipsa autem sola gratiâ plena*

plena fuit, quia maiorem gratiam habere non potuit. Nisi enim ipsa Diuinitati vniretur, maior gratia non potuit intelligi, quàm quòd de ipsa acciperetur, scilicet, quod vniretur. Nam nisi ipsa esset Deus, non posset maior gratia intelligi, quàm quod esset Mater Dei. Vbi solam naturam Verbo vnitam superiorem agnoscit dignitate Matris.

Idem Albertus *lib. de laudibus Virginis, cap.* 80. ait: *Dignitas personæ exhibentis respectu omnium viatorum in summo fuit in B. Virgine. Ipsa enim Mater Dei; alij omnes serui: & improportionabiliter maius est esse Matrem Dei, quàm esse seruum Dei.* Et nota, quòd apud Albertum idem significat *Improportionabiliter, ac infinitè,* vt ostendam *disp. seq.* §. 109. & inde colliges, quomodo ex summa dignitate possibili inferat, eam esse infinitam.

S. Antoninus Albertum secutus pro hac eadem veritate manifestè militat. *Nam* 4. *part. tit.* 15. *cap.* 20. §. 9. ita habet: *Vbi etiam notandum, secundum Albertum, quòd non potest intelligi, maior gratia puræ creaturæ participari, quàm esse Matrem Dei. Maior enim est, quàm Filius adoptiuus per gratiam, vel Angelus, vel frater Dei.* Eadem repetit *ibid. cap.* 15. §. 1. sic: *Sola autem Virgo Maria plena fuit inter puras creaturas, quia maiorem gratiam habere non potuit. Nisi enim ipsa Deitati vniretur, maior gratia non potuit intelligi, quàm quod de* 12. *S. Anton.*

ipsa acciperetur, quod vniretur: hoc est, quòd nisi ipsa esset Deus, maior gratia intelligi non potest, quàm quòd esset Mater Dei. Cùm autem inde rectè inferatur, dignitatem esse infinitam, S. Antoninus *serm. in Sabbat. 4. Quadragesima*, illam infinitam asserit mutuatis verbis S. Thomæ, quæ *cap. seq.* referemus.

13. S.Hieron. In hunc locum aduoco S.Hieronymum, quatenus, vt refert S. Antoninus *serm. in Sabbath. 4. Quadrag.* disertè testatur, hanc esse maximam dignitatem, quæ dari, & intelligi potest in B. Virgine. Ecce verba S. Antonini: *Quos omnes*, scilicet Angelicam, & humanam, *Maria superat, & hoc totum, quia Mater Dei est. O magnum quid! Hieronymus: Maior gratia in Maria non potest intelligi, quàm quòd sit Mater Dei.*

14. S. Bern. S. Bernardinus breuiter, & dilucidè totam rem expressit *tom. 3. serm. 6. de B. Maria, art. 3. cap. 1.* sic: *Status Maternitatis Dei, ad quem Deus Virginem eligebat, erat summus status, qui pura creatura dari posset.*

15. Thom. de Villan. B. Thomas de Villanoua *serm. 3. de Natiu. B. Mar.* idem docet, ex Anselmo confirmans, his verbis: *Qualem ergo faceret Artifex, qui elegit eam, vt nasceretur ex ea? Vnde Anselmus: De Virgine dicere solum, quòd Mater Dei est, excedit omnem celsitudinem, quæ sub Deo excogitari potest.* Et

Et vt ex maxima dignitate possibili & excogitabili rectè colligitur, eam esse infinitam, ita ipse B. Thomas collegit ibidem iis verbis: *Sed qualis est hæc dignitas? Vtique habet quamdam infinitatem, esse Matrem Infiniti, & Omnipotentis.* Neque illa particula *quamdam*, affert limitationem infiniti; eâ enim solùm excluditur infinitum in perfectione, siue infinitum per essentiam: vt *cap. sequenti* ostendemus in testimonio alterius Thomæ.

Eadem testatur Petrus Abbas Cellensis *lib. de panibus, cap.* 21. sic: *Et quid amplius ei assignare possumus Diuini muneris, & honoris, quàm (vt quod verum est, fateamur,) genitricem Dei esse, & hominis? Infrà hoc dicitur quidquid in eius commendatione offertur. Si cœli Reginam, si Angelorum Dominam, vel quodlibet aliud excellentissimum, tam ab humano corde, quàm ore excogitatum protuleris; non exurget ad hunc superindicibilem honorem, quo creditur, & prædicatur Dei genitrix.* Ecce dignitatem quacumque alia excogitabili superiorem. 16. *Petr. Cel.*

Bartholomæus Pisanus hac doctrina ita imbutus est, vt eam sæpiùs repetiuerit. Nam *in libro de laudibus Virg.* (quem trecentis ab hinc annis scripsit) *lib.* 1. *fruct.* 1. *pag.* 7. sic habet: *Cum esse Mater Dei, sit gratia maxima puræ creaturæ conferibilis, B. Maria non solùm est prædestinata ad gloriam, & gratiam, sed ad hanc specialiter gratiam, quòd* 17. *Pisanus.*

quòd esset Mater Dei. Et *lib.* 3. *fruct.* 4. *pag. mihi* 404. refert, & approbat verba Doctoris Seraphici, quæ relata manent §. 9. Et *pag.* 419. ait: *Cum Seraphico Doctore dicamus, quòd nihil nobilius cogitari potest, quàm Virginem Dei genitricem Mariam in Matrem fuisse electam tanti nobilissimi filij.* Et *lib.* 2. *fruct.* 6. *pag.* 228. iterum inculcat, dicens, *nihil mente cogitari posse nobilius hac dignitate Matris.*

18. *Pulchra ratio pro immaculata Virginis Conceptione.* Et tandem *lib.* 1. *fruct.* 7. *pag.* 121. vt probet, B. Virginem ab originali peccato fuisse immunem, ita differit: *Dilectio æternalis Dei non capit aliquam maculam in mortem æternalem in eo, quod diligit ad summum possibile conferendum per ipsum puræ creaturæ: sed sic est, de Virgine Maria cognosci; quia eandem prædestinauit ad gratiam maiorem possibilem conferri puræ creaturæ, vt patuit fructu* 1. *quia vt esset Mater Dei.*

19. *Alensis. Pelbartus.* Alexander Alensis in hac Virginis commendatione noluit cæteris inferior esse, quem refert, & sequitur Pelbartus ex eadem Franciscana Familia, *lib.* 2. *Stellarij, part.* 3. *art.* 2. *cap.* 5. his verbis: *Ex parte creaturæ nil maius potest dici, quàm quòd sit Mater Dei. Hoc enim est summa gratia, & gloria, qua maior creaturæ communicari non potuit, sicut vult Alexander de Ales* 1. *part.* & *Albertus super Missus est. Ideò Anselmus lib. de Conceptu Virginis dicit: Nihil tibi, ô Domina, est æquale, nihil comparabile. Omne enim*

enim quod eſt, aut ſupra te eſt, aut infra te eſt. Quod ſupra te eſt, ſolus Deus eſt; quod infra te eſt, eſt omne, quod Deus non eſt.

Totus eſt Pelbartus in tradenda iterum, & ſæpiùs hac doctrina, quam à tantis Doctoribus didicit. *In Stellar. lib.* 1. *part.* 5. *art.* 1. *cap.* 3. ait: *Iſte modus ſalutandi notat, & indicat ſummam gloriam, quâ maior nequit eſſe in mundo, ſcilicet eſſe Matrem mox futuram.* Et *ibid. art.* 2. *cap.* 2. idem aſſerit, mutuatis ab Alberto iis verbis, §. 11. propoſitis: *Omnis creatura habet aliquid de vacuitate, quia maiorem gratiam recipere poteſt. Sed B. Virgo tantam recepit, vt maiorem recipere non poſſet, ſcilicet quod eſſet Mater Dei.* Et *lib.* 2. *part.* 3. *art.* 2. *cap.* 3. ait: *Deus tam excellentiſſimum bonum, & donum voluit, & dedit B. Virgini, quòd nulli, nec omnibus ſimul conceſſit, videlicet quod eſſet Mater Dei, quo nil maius creatura donari poteſt.* Idem prolixè repetit *lib.* 5. *p.* 3. *artic.* 3. & *lib.* 7. *part.* 3. *initio.* Et tandem *lib.* 11. *part.* 1. *cap.* 8. aſſerit, hanc eſſe concordem Doctorum ſententiam. *Fecit eam Matrem Dei, quo maius eſſe non poteſt, ſecundùm Albertum ſuper Miſſus eſt, & alios concorditer Doctores.* Neque tacuit eam, quam indicamus legitimam conſequentiam de infinitate huius dignitatis, *lib.* 5. *part.* 3. *art.* 1. in hæc verba: *Ex hoc ipſo, quòd ipſa eſt Maternitate Deo coniuncta, habet dignitatem infinitam.* Vide etiam *diſp. ſeq.* §. 160. 20.

Petrus

21. *Aureolus.* Petrus Aureolus *in 3. dist. 32. quæst. vnic. art. 5.* pro eadem assertione militat, ita asserens: *Quartò dicendum, quod Deus plus diligit Christum, quàm totum mundum, quia optauit sibi maius bonum, putà vnionem ad Verbum, quæ est bonum infinitum, vt priùs visum est. Quintò, quòd plus diligit B. Virginem, quàm omnem creaturam puram, quia Maternitas B. Virginis videtur esse summum bonum post vnionem.* Et *in 3. dist. 3. quæst. vnic. art. 7. §. Nota,* ait: *Sicut ipsa vnio, quæ non cadit sub merito in Christo, sic & Maternitas in B. Virgine in Conceptione actiua; quod est maxima gratia post gratiam vnionis.*

22. *Ægidius.* Ægidius Romanus in expositione salutationis Angelicæ (extat *tom. 3.* Bibliothecæ Virgineæ) ad ea verba, *Dominus tecum,* luculentum profert testimonium pro hac assertione: *Dicta est habere Dominum secum, non solum per potentiam, præsentiam & essentiam, vt est in omnibus creaturis; & non solùm per gratiam cognitionis, & amoris, vt est in omnibus Sanctis, sed modo excellentissimo quo potuit Dominus esse in pura creatura, scilicet per gratia plenitudinem in mente, & per assumptionem carnis in ventre.* Ecce, secundùm Ægidium, excellentissimus modus possibilis, quo potuit Deus esse, & copulari cum pura creatura, est Maternitas; sicut & gratiæ plenitudo, de qua posteà dicemus.

23. Augustinus Triumphus, aliàs de Ancona (vir

(vir doctissimus, vt testantur libri de potestate Ecclesiæ, quos ante trecentos quinquaginta annos scripsit) in expositione salutationis Angelicæ, *lect.* 7. *quæst.* 1. cum dixisset, *quod plenitudo gratiæ B. Virginis in istis quatuor effectibus gratiæ excessit gratiam datam, & possibilem dari cuilibet creaturæ Angelicæ, vel humanæ:* referens primum effectum ex his quatuor, in quibus ita excessit B. Virgo, subdit: *Primò in diuinæ gratiæ copulatione, quia alij homines, vel Angeli sunt Deo coniuncti, vel copulati per gratiam filialis adoptionis: sed B. Virgo fuit Deo coniuncta per gratiam naturalis filiationis, quia ipsa fuit verè Mater Christi naturaliter & corporaliter.* Ecce vnum in quo *excessit gratiam datam, & possibilem dari cuilibet creaturæ,* scilicet in coniunctione cum Deo per Maternitatem. *Triumphus.*

24. *Pighius*

Albertus Pighius in opusculo de Sanctorum cultu, & innocentiâ Deiparæ, in fragmento, quod extat *tom.* 2. *Bibliothecæ Virgineæ*, ait: *Quid hæc sibi volunt, nisi quia Mater Filij Dei sit futura? O triumphale, ô gloriosissimum, & superexcelsum elogium! Ea decora continens, hos titulos, quibus pares, nec similes vnquam tributi fuere, nec in futurum tribuentur: quibus etiam nec maiores saltem excogitari possunt.* Quòd si maiores excogitari non possunt: ergo non est excogitabilis dignitas maior.

25. *Spiera.*

Ambrosius Spiera (qui tempore S. Bernardini

nardini scribebat in libros Sent. & opuscula alia) *serm.* 18. *consider.* 2. *initio*, *tom.* 2. *Biblioth. Virgin.* sic scribit : *Secunda conclusio est ista : Tantum ac tale signum dignitatis in Virgine ostendit Deus , vt , salua reuerentia Dei, nec maius, nec excellentius, quàm fecerit in Virgine , facere potest , aut vnquam fecit.* Quam secundam conclusionem posteà fusè illustrat : ex cuius contextu constat, loqui de dignitate Matris Dei.

26. *Dan. Agr.* Daniel Agricola (qui scribebat anno quadringentesimo supra millesimum) *in Corona B. Mariæ, cap.* 1. *tom.* 2. *Biblioth. Virgineæ*, ait: *Magnum, quia Virgo; maius, quia Mater ; maximum, quia Mater Dei , vltra quod nulla magnitudo creaturæ.* Et *in* 2. *stella coronæ* 4. eisdem verbis vsus est , quibus Ricardus de S. Laurentio infrà referendus, §. 32.

27. *Alanus.* Alanus Varenius (qui ante ducentos quinquaginta annos scribebat) *serm.* 4. *de Deip. colum.* 4. ait : *Immensa quoquo pacto est immensitatem filij continens.* Id est , ipsa immensitatem participat ab immensitate filij, quem ventre continet. Extat *tom.* 3. *Biblioth. Virgineæ.*

28. *Guilielm.* Guilielmus Parisiensis *in vigiliam Assumptionis, quæst.* 19. *tom.* 3. *Biblioth. Virgin.* eidem suffragatur assertioni. Nam inquirens, *vtrùm Maria meruerit esse Mater Dei ?* in ratione dubitandi ait : *Esse Mater Dei dicitur præmium infinitum , quod sub merito cadere non potest.*

poteſt. Quod videtur admittere. Et poſteà reſoluit, non potuiſſe B.Virginem de condigno mereri eſſe Matrem Dei,ratione eius ſublimitatis: *Hoc enim excedit omnę meritum,& eſt ſuprà ſtatum, qui competit creaturæ.* Eſt ergo ſummus ſtatus poſſibilis in pura creatura, cùm ſit ſupra omnem ſtatum puræ creaturæ competentem.

Idem apertè tradit Bernardinus de Buſto 2.*part. Marial. ſerm.* 5.*p.* 3. inquiens: *Eius quoque nobilitas apparet ratione finis. Nam cùm finis ſit melior omnibus, quæ ordinantur ad finem,* 2.*Phyſ. & quanto aliquid eſt ordinatum ad nobiliorem finem, tantò ſit dignius, concluditur, quòd ſi omnes creaturæ ſimul eſſent congregatæ, & ab vno latere poſitæ, & ſola glorioſiſſima Virgo ex alio, nobilior & excellentior ipſa ſola reputabitur, quàm omnes aliæ ſimul, quia ad nobiliorem effectum, & finem à Deo eſt electa. Nihil enim nobilius cogitari poteſt ipsâ Matre Dei.* Et 5. *part. Marial. ſerm.*7.*part.*2. mutuatis verbis ab Alberto, quem ibi citat, ita habet: *Quæ ſola tantam gratiam habuit, quòd omnis pura creatura maiorem recipere non potuit: nam niſi ipſa eſſet Deus, non poſſet maior gratia intelligi, quàm quòd fieret Mater Dei.* 29. *Buſtus.*

Ioannes Gerſon, *ſerm. de Annunciat.* ita aſſerit: *Hodie Domina noſtra altius nomen accepit,& perfectius quàm quod eſſe poſſit homini poſt nomen Filij ſui. Et eſt, quod Mater Dei dicatur: meliùs eam appellare non poſſumus.* 30. *Gerſon.*

31. *Richelius.* Dionysius Richelius *lib.* 1. *de laudib. Virg. art.* 20. ita assertioni suffragatur: *Deus incircumscriptibilis Maiestatis ipsam tanto sublimauit honore, etiam in hac vita, quòd personæ creatæ non potuit maior honor, ac dignitas exhiberi, faciendo eam sui ipsius genitricem verissimam.* Quòd autem sit dignitas infinita, expressit *art.* 15. verbis infrà allegandis §. 63.

32. *Ric. à S. Laur.* Richardus de S. Laurentio ad illud Ecclesiastici 26. *Gratia super gratiam mulier sancta,* ait: *Gratia super gratiam, idest, super omnem gratiam: quòd enim Mater Dei effecta est, super omnem gratiam est.*

33. *Fulbertus.* Fulbertus Carnotensis (qui primus in Gallia festum Natiuitatis B. Virginis celebrasse dicitur) *serm.* 1. *de Natiu. B. Mar.* ait: *Tali ergo, tantæque personæ quid tandem ad honoris cumulum potuit accedere maius eo, quòd Dei filium Virgo concepit, Virgo Mater edidit? Hac nempe dignitate venerabilis facta est ipsis quoque sanctorum ordinibus Angelorum.* Interrogatio enim negationi æquiualet: idest, nihil ad honorem potuit accedere maius.

34. *Amadeus.* Denique in reuelationibus venerabilis Amadei (quas multi viri docti approbant, & à Bzouij & aliorum calumniis vindicant) *raptu* 4. *tom.* 1. *Bibliotheca Virgin.* refert S. Gabriel, B. Virginem sibi dixisse: *Cupere tantum donum cuilibet puellæ, præsumptio est; habere illud, dignitas summa est.*

CAP.

C A P. II.

Testimonio Doctoris Angelici, huius dignitatis infinitudo confirmatur.

CLaudat agmen veterum Doctorum egregius ductor D. Thomas: & cùm multi ex allegatis, ab illo hauserint hanc doctrinam, oportet vt quam ex Theologiæ fluminibus bibimus, ex ipsa eorum scaturigine dulciùs hauriamus. Igitur 1. *part. quæst.* 25 *art.* 6. sic scribit: *Ad quartum dicendum, quòd humanitas Christi, ex hoc quòd est vnita Deo; & beatitudo creata, ex hoc quòd est fruitio Dei; & B. Virgo ex hoc quòd est Mater Dei, habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus: & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo.* 35. D. Thomas.

In quibus verbis notabis Angelicum Præceptorem non constituere eam infinitatem in his tribus ex sola relatione ad bonum infinitum; alioqui eandem constitueret infinitatem in cæteris actibus vitalibus, qui terminantur ad Deum; imò & in omnibus creaturis, quæ ad suum Creatorem referuntur. Constituit ergo eam infinitudinem ex speciali coniunctione, & appropriatione ad Deum, quæ in iis tribus inuenitur; quam ita vnumquodque habet in suo genere, vt nulla alia 36.

res possit habere intra idem genus maiorem coniunctionem cum summo bono.

37. Sensus ergo verborum D. Thomæ est, quòd videlicet hæc tria, humanitas Christi Domini cum vnione hypostatica, visio beatifica, & Mater Dei habent dignitatem infinitam (vnumquodque suo modo, & intra suum genus) ex coniunctione cum summo bono, quæ intra suum vniuscuiusque genus est maxima possibilis. Ad quam infinitatem probandam assumit vt medium, quod ea coniunctio sit maxima possibilis, & quòd nihil aliud possit fieri melius eis intra vniuscuiusque genus.

38. *Quomodo iuxta S. Thomam Maternitas sit infinita simpliciter, non verò visio.*

Sed cùm inter omnes constet, visiones beatificas non esse dignitatis simpliciter infinitæ, sed solùm secundùm quid; operæ pretium est inuestigare quomodò ex verbis S. Thomæ inferatur, Maternitatem Dei esse dignitatis simpliciter infinitæ, non autem visionem beatificam. In cuius discriminis intellectu consistit tota indagatio mentis D. Thomæ & huius textûs perfecta cognitio. Igitur cùm ad probandam infinitatem assumat vt medium, quòd nihil intra illud genus possit esse melius, aut magis appropinquare Deo; hinc fit, quòd ex mente D. Thomæ vnicuique illorum trium conuenit infinitudo eo modo, & non aliter, quo illi conuenerit esse summam appropinquationem ad Deum, & quòd illo melius nihil esse possit.

39. Asserit ergo, nihil fieri posse melius visione beatifica intra suum genus, *ex hoc quòd est*

fruitio

fruitio Dei : ideſt, ſecundum rationem communem fruitionis Dei,communem, inquam, omnibus viſionibus beatificis ; eo quòd non ſit poſſibilis maior (vt ita dicam) felicitas, ſiue voluptas fruitiua, quàm videre Deum. At verò non ita euenit ſecundùm ſpecialem, vel indiuidualem differentiam viſionis. Quia hæc numero viſio, v.g. S.Petri, non eſt ita perfecta, vel digna intra ſuum genus, vt non ſit poſſibilis alia perfectior, vel dignior. Vnde non infertur, hanc, vel illam determinatam viſionem eſſe ſimpliciter infinitam ; cum de hac determinata verificari non poſſit, quòd nulla alia intra ſuũ genus ſit poſſibilis melior.

Verum quidem eſt, vnum infinitum eſſe 40.
poſſe maius alio,etiam in intenſione;& quamvis vnum præſtet alteri, non propterea derogat infinitudini illius. In præſenti autem hoc non habet locum : nam ad indagandum, an hæc tria à D.Thoma propoſita ſint dignitatis infinitæ, attendendum eſt, quòd à D.Thoma non aſſumitur aliud medium,niſi quòd vnumquodque in ſuo genere tale ſit, vt nihil melius eſſe poſſit. Cum ergo id verificari non poſſit de qualibet viſione determinata ; quia, qualibet aſſignata, poteſt fieri à Deo alia melior : inde eſt, quòd nulla viſio in indiuiduo poſſit dici ſimpliciter infinita. Solùm ergo ex textu D.Thomæ infertur,eſſe ſecundùm quid infinitam ; quatenus eſt in ratione fruitionis ſumma coniunctio cum Deo ſolùm ſecundùm rationem communem fruitionis, modo explicato.

41. Hinc clarè colligitur ex hoc textu, alia duo distincta à visione esse simpliciter infinita. De humanitate Christi Domini manifestum est, eam esse dignitatis simpliciter infinitæ ex vnione ad Verbum; & ex ratione huius contextûs patet, cùm nulla maior coniunctio cum Deo, nullave res melior fieri possit. Idem suo modo infertur de dignitate Deiparæ, quam dicit S. Thomas infinitam, & quod *non potest aliquid fieri melius eâ*, scilicèt *ex hoc quòd est Mater Dei*. Nam de hac dignitate Matris in indiuiduo intendit asserere D. Thomas, quòd nihil possit fieri melius ea, & non secundùm rationem communem, vt in visione. Tum quia esse Matrem Dei non recipit magis, & minus, sicut visiones: tum quia non est melior modus maternitatis, quàm concipiendo Filium Dei, illæsa virginitate. Censet ergo D. Thomas, non esse possibilem in pura creatura maiorem dignitatem, quàm Maternitatem Dei; consequenterque illam esse simpliciter infinitam.

42. Quòd si aliquis negare velit (sanè contra ipsum contextum) S. Thomam assumere vt medium, quòd illa dignitas sit melior possibilis, ad probandam eius infinitudinem; sed ea duo asseri à S. Doctore quasi concomitanter, & non inferendo vnum ex alio, adhuc non infirmatur vis nostræ argumentationis. Nam quamvis ita concomitanter se habeant ea duo, non potest negari, quòd vnicuique ex illis tribus eodem modo conuenit infinitudo, iuxta S. Thomam, quo conuenit esse talem,

vt non possit aliquid fieri melius eo, & quòd non aliter intendit asserere Doctor Angelicus. Sicut ergo non conuenit huic determinatæ visioni esse talem, vt nulla alia possit fieri melior; sed solùm secundùm rationem communem modo explicato: ita non conuenit illi infinitudo, nisi secundùm rationem communem, & secundùm quid. Et sicut dignitati Matri non conuenit solùm secundùm rationem communem, quòd sit maxima possibilis; ita non potest conuenire infinitudo secundùm quid.

Dicet tamen aliquis, ea verba S. Thomæ *quamdam dignitatem infinitam*, videri præ se ferre limitationem, eo quòd particula *quamdam*, sit quasi additum diminuens. Respondeo tamen primò, eam non posse esse particulam diminuentem, cùm non possit negari, humanitatem Christi ex vnione ad Verbum habere dignitatem absolutè, & simpliciter infinitam. Secundò, dixit *quamdam dignitatem infinitam*, vt significaret, se non loqui de infinito simpliciter in perfectione, seu de infinito per essentiam. 43.

Et quidem hanc esse mentem S. Thomæ, testatur insignis Thomista Ioannes Vincentius *relect. de gratia Christi, quæst. 3. conclus. 3. §. Ex quo deducitur*, vbi sic asserit: *Dignitas Matris Dei excedit omnem dignitatem collectiuè sumptam, quæ ratione cuiusvis ministerij, aut officij, in cœlo, & in terra potest competere Angelis, & hominibus. Propter quam causam S. Thomas 1. part. loco cit. ad vltimum argumentum* 44. *Ioan. Vinc.*

vocat hanc dignitatem infinitam. Vbi vides primò, quomodò hic Author censeat, esse mentem S.Thomæ, asserere hanc dignitatem absolutè & sine limitatione infinitam. Secundò in iis verbis, *Propter quam causam S.Thomas,* clarè demonstrat, collegisse S. Thomam eam Matris infinitudinem ex eo, quòd hæc dignitas sit maxima possibilis in pura creatura.

45. *Guadalup.* Idem omnino asseruit Hieronymus de Guadalupe *in commentar.in Luc.cap.*1.ad ea verba: *Et vnde hoc mihi?* &c. his verbis: *Tertia, ac postrema res, quam Deus meliorem non potest facere, est dignitas sua sanctissima Matris. Tantùm enim, & tam excellentissimum est ministerium generare, & parere filium Dei, quatenus homo est, & esse Matrem Dei, quòd Deus non habet maiorem dignitatem, quam possit in aliquem conferre. Atque hinc est, quòd D.Thomas citato loco eam dignitatem vocat infinitam.* Vbi eadem duo notabis, quæ in testimonio Ioannis Vincentij.

CAP.

CAP. III.

Testimonia Recentiorum Doctorum, pro eadem Virginea dignitatis infinitate.

PEtrus Franciſcus Suarez vtramque partem expreſſit, quamvis altera patrocinio noſtro ſufficeret; & quòd non ſit poſſibilis alia dignitas maior, & quòd illa infinita ſit. Nam *tom. 2. in 3. part. diſputat.* 1. *ſect.* 2. §. *Primò igitur*, loquens de dignitate Maternitatis in Virgine, ait: *Vt verò quanta ſit hæc dignitas, meliùs declaremus, accedamus ad alteram partem, & illam cum dignitate gratiæ, & filij adoptiui conferamus. Nam cum aliis nullam comparationem facere neceſſe eſt. Nam per ſe notum eſt, & eſſe inferiorem vnione hypoſtatica, & eſſe ſupra omnem aliam dignitatem, quæ gratiam, ſeu amicitiam Dei formaliter non includit.* Et poſteà *in* §. *Secundò verò*, concludit, hanc Maternitatem Dei moraliter conſideratam eſſe dignitatem maiorem dignitate gratiæ, & filij adoptiui. Ex quo planè conſtat, iuxta mentem Suarij non eſſe poſſibilem maiorem dignitatem, cùm ſuperiorem adſtruat omnibus dignitatibus præter vnionem hypoſtaticam. Quod ampliùs explicuit *diſp.* 18. *ſect.* 4. ſic: *Maior eſt dignitates Matris Dei, quàm mune-* 46. Suarez.

ra Sanctorum omnium, & dignitates, etiamsi in vnam congregentur.

47. Iam verò consequenter docet, illam dignitatem esse infinitam. Ita *disp.* 18. *sect.* 4. *§. Sedò principaliter*, ait: *Prima coniectura sumitur ex dignitate Matris Dei, quæ in suo genere est infinita. Suprà autem explicui, quid sibi velint ea verba, in suo genere, scilicet in genere moris, & vt excludatur à perfectione simpliciter infinita.* Et paulò pòst: *Illa dignitas est altioris ordinis, & suo modo infinita. Vnde etiamsi in infinitum illa gratia intenderetur, nunquam excederet terminos, aut debitam proportionem illius dignitatis.* Ad quæ verba iam non licet dubitare de huius dignitatis infinitate, iuxta mentem huius Patris. Etenim si daretur dignitas, quàm proportionatè comitari posset gratia sanctificans infinitè intensa, illa sine dubio esset dignitas infinita: atqui iuxta mentem huius Doctoris, talis est dignitas Maternitatis Dei: censet ergo apertè, eam esse absolutè infinitam. Cum his conueniunt, quæ dixit *disp.* 3. *sect.* 5. *§. Nona sumitur.* Ait enim: *Matris dignitas infinitè superat dignitatem Præcursoris.* Non posset autem superare illam infinitè, nisi ipsa infinita esset, vt per se patet.

48. *Pitigian.* Suarium sequutus est Franciscus de Pitigianis *in* 3. *dist.* 4. *art.* 10. *§. Potest secundò*, mutuatis eisdem verbis, quæ priori loco ex Suario retulimus, in quibus comparatio fit etiam cum dignitate filij adoptiui: & concludit iste Author, non solùm superare reliquas dignita-

tes,

tes,ſed etiam dignitatem filij adoptiui, iis verbis: *Altioris eſt ordinis & dignitatis dignitate filij adoptiui.*

Secutus eſt etiam Suarium in hoc, vt & in reliquis ſolet, Rutilius Benzon. *lib.* 1. *in Magnif.cap.* 28. *dub.* 6. ita aſſerens: *Addendum eſt, ſi illa gratia in infinitum intenderetur, nunquam exceſſuram terminos, aut debitam proportionem dignitatis Maternitatis Diuinæ, quæ in ſuo genere infinita eſt.* Quæ mutuata ſunt ex P. Suarez eodem ferè tenore, vt retulimus §.47. vbi efficaciter ex iis collegimus, abſolutam infinitudinem eius dignitatis. Quod etiam indicat idem Author *cap.* 24. §. *At ſanè*, & *cap.* 22. *dub.* 9. §. *Nunc cauſæ*, vbi loquens de dignitate Matris Dei, ait: *Eſt autem dignitas diſtincta à dignitate gratiæ, & altioris ordinis quàm illa; excedit enim omnem ordinem naturæ, & gratiæ præſcisè ſumpta.* 49. *Benzon.*

Hanc præſtantiam ſuprà dignitatem omnem in pura creatura poſſibilem ſatis clarè agnouit P. Petrus Caniſius in notis Euangelicis in feſto Conceptionis B. Mariæ: *Vt hinc etiam ſcripſerit Epiphanius, dignàm illam eſſe inter creaturas omnes, quam præ cæteris, & homines, & Angeli ſuſpiciant, atque venerentur; quando Matre Domini nihil nobilius, & præſtantius, Deoque coniunctius poſſit inueniri.* Quòd ſi nihil præſtantius poteſt inueniri; præſtat ergo omnibus poſſibilibus, habetque omnem præſtantiam poſſibilem. 50. *Caniſius.*

Eidem ſententiæ fauet Cardin. Toletus *in cap.* 1. *Luc. annot.* 67. iis verbis: *Eſſe enim Dei* 51. *Toletus.*

Ma

Matrem, omnem superat dignitatem, & excellentiam pura creatura. Post illud enim, quod supra omnia creata est, nempe esse hominem Deum, proximum est, esse Virginem Matrem Dei. Vbi cùm dicatur hæc dignitas superare omnem excellentiam puræ creaturæ, non est cur ea verba limitentur ad creaturas solùm existentes: præcipuè cum illis verbis, *Quòd supra omnia creata est*, loquatur de omnibus possibilibus, cum quibus comparat esse hominem Deum: nam cum eisdem comparat, *esse Virginem Matrem Dei.*

52. *Bellarm.* Eodem modo locutus est Card. Bellarminus *tom. 3. lib. 4. de amissione gratiæ, cap.* 15. §. *Addi potest*, vbi ita ait: *Cùm Deus statuerit sanctissimam hanc Virginem euehere ad summam dignitatem, vt omnibus puris creaturis, etiam Angelis præstet*, &c. Quod ad creaturas tantummodò existentes limitari non debet, quia verba attentè considerata aliquid maius indicant.

53. *Salmeron.* P. Alphonsus Salmeron *tom. 3. tractat.* 12. §. *At dices*, expresè asseruit: *Cùm nihil hominibus dari maius potuerit, quàm Filius Dei, & Messias; & fœminæ, quàm dignitas Matris eius.* Sibíque consonat §. *Hæc verò*, vbi ait: *Est námque B. Virgo quarta persona in dignitate post tres illas supremas, & Diuinas personas.* Quæ verba satis indicant excessum supra omnia possibilia; præcipuè cùm in priori loco dixerit, non esse possibilem dignitatem maiorem.

54. Tenet apertè hanc sententiam Corjolanus *in* 1.

in 1. sent. S. Bonauenturæ, quæst. 25. art. 10. §. Ad rationem in oppositum, vbi inquit: *Dicendum est, quòd B. Virgo quantum ad naturam potuit fieri melior; sed quantum ad gratiam Maternitatis non potuit esse melior.* Vbi cùm ea quæstio Magistri, quàm decidit, procedat de potentia absoluta, planè censet, hanc gratiam Maternitatis habuisse omnem præstantiam possibilem.

Pro eadem sententia apertè militant P. Ludouicus de Ponte *lib. 1. in Cant. exhort. 6. initio*, asserens dignitatem Deiparæ talem esse, vt nulla maior sub Deo possit intelligi. Cuius verba scribuntur infrà, *disput. sequenti*, §. 92. Albertus de Marquesiis *in cœliloquio morali, lib. 6. cap. 56. tom. 3. Biblioth. Virgin.* asserens cum S. Bonauentura, cuius verba mutuatur, quod *Tantam habuit bonitatis dignitatem, quòd nulla mulier ampliùs capere potuit.* Ludouicus Granat. *tom. 1. de festis Sanctorum, serm. 1. de Annunciat. num. 31.* asserens, nihil dignius esse, aut fingi posse hac Maternitate; neque Dei opulentiam habuisse aliquid maius, quod Virgini conferret. Eadem repetit *serm. 3. de Natiu. B. Mariæ, n. 35.* Galatinus *lib. 7. de Arcanis Catholicæ veritatit, cap. 6.* quatenus ait, nihil esse excellentius, aut sublimius hac dignitate. P. Sebastianus Barradas *tom. 1. Concordiæ Euang. lib. 6. cap. 6. post medium*, citato D. Thoma, asserensque hanc dignitatem esse infinitam. P. Benedictus Fernandez *tom. 1. in Genes. cap. 2. sect. 13. num. 5.* asserens, hanc dignitatem, *Tam infini-*

55. Ponte. Marques. Lud. Gran. Galatin. Barradas. Fernand.

tam

tam esse sub Deo, vt sublimius quidquam nec esse, nec cogitari possit. Eadémque repetit *tom.* 2. *cap.* 27. *sect.* 5. *num.* 13. Et ferè eisdem
Sandeus. verbis P. Maximilianus Sandeus *in Flore mystico, orat. de Annunciat.* §. *Non fuit vnquam.*

56. *Morales,* P. Petrus Morales *in cap.* 1. *Matth. lib.* 3. *tract.* 7. *num.* 13. dicens, dignitatem Matris esse infinitam ex bono infinito, quod est Deus.
Did. Lop. P. Didacus Lopez *in Mensa spiritualium ciborum, verb. Maria Virgo, num.* 28. Mag.
Dauila. Ioannes Dauila *tract.* 9. *de Deipara, in festo eius ad Niues,* dicens, non esse possibilem maiorem dignitatem in pura creatura. Eadem
Car. Reg. expressit P. Carolus Regius *lib.* 6. *d. Oratore Christiano, cap.* 22. Hieronymus de Orma-
Ormachea. chea *in Cat. prolegomen.* 4. §. 4. & *in cap.* 1. *vers.* 1. *num.* 366. vbi dicit, hanc dignitatem esse *infinitam, illimitatam & incomprehensibi-*
Ribaden. *lem.* P. Petrus de Ribadeneïra *in Flore Sanctorum, in festo Assumptionis,* dicens, impossibilem esse ampliorem dignitatem in pura crea-
Ossorio. tura. P. Ioannes Ossorio *tom.* 3. *concion.* 1. *in Assumptione B. Mariæ,* §. *Quid ergo,* asserit vtrumque; & infinitam esse, quod latè, & ex professo probat; & non esse possibilem maiorem dignitatem. Quod idem repetit *tom.* 3. *concion.* 2. *in Natiu. B. Mariæ.*

57. *Cornelius.* P. Cornelius à Lapide *in cap.* 1. *Cant.* ad ea verba: *Meliora sunt vbera tua vino,* asserens, esse summam dignitatem possibilem. Idem af-
Hislerius. firmat Michaël Hislerius *in Cant. cap.* 1. ci-
Lezana. tandus *disp. sequenti,* §. 176. Lezana *in Apolog.*

log.pro Immaculatâ Conceptione, cap. 25. *ratione* 3. infinitam vocat Dei Maternitatem. P. Ripalda *de Ente supernaturali disp.* 79. sæpiùs repetit ex mente sanctorum Patrum, hanc esse maximam dignitatem possibilem in pura creatura, quin ei par esse possit, nisi sola Diuina. Ita *num.* 53. & 116. & 120. Item esse *Pretio, & æstimatione infinitam*, dixit *num.* 60. & 118. P. Ferdinandus de Salazar *tom.* 2. *in Prouerb. cap.* 31. *num.* 187. dicens, non esse possibilem maiorem dignitatem, ad quam pura creatura euehi possit. P. Ioannes Eusebius *opusculo de affectu erga Mariam Virg.* in editione Latina, *c.* 16. asserens, Maternitate Dei nihil maius dici posse. Ripalda. Salazar. Ioan. Eus.

Adamus Brouuerus *tractat. de Salutat. Angelica, cap.* 4. §. 3. *num.* 6. *tom.* 1. *Bibliotheca Virgin.* vbi ait: *Personam humanam ad infinitam Diuinæ Matris dignitatem euexit.* Alexius à Salo *in arte amandi Deiparam, priuileg.* 5. *condit.* 3. *tom.* 1. *Biblioth. Virgin.* dicens: *Deus iam olim ab æterno constituerat, seu prædestinarat, illuc honoris, ac dignitatis eam aliquando prouehere, vt vlteriùs creatura vlla prouehi non posset.* Idem repetit *in declaratione Stellæ* 1. & *in declaratione Stellæ* 9. ait: *Quâ vnâ dignitate nulla maior potest creaturæ contingere.* In quibus locis de dignitate Matris Dei manifestè loquitur. Et indè rectè colligit, dignitatem esse infinitam. Nam *capit.* 3. agens de dignitate Matris, ait: *Hæc spirat Diuinum aliquid, infinitum, immensum, incomprehensibile, & supereminet quæcumque verbis* 58. Brouuerus. Salo.

eloqui

eloqui, aut animis concipere Angeli, hominesque possint.

59. *Ang. de Pace.* Angelus de Pace (aliàs de Passu) *in Magnificat, cap. 43. tom. 3. Bibliotheca Virgin.* ait, dignitatem Matris Dei esse immensam; ideóque omnium creaturarum laudes æquare non posse huius dignitatis magnitudinem. P. Antonius Sucquet *in tract. de via vita æterna, cap. 23.* dicens: *Dei, inquam, Matrem; quo titulo nullus esse maior potest.* *Sucquet.*

60. Denique post totum hunc tractatum absolutum, ad meas manus peruenerunt asserta Theologica in Salmanticensi Academia anno 1653. die 30. Martij defensata à P. Doct. Ioanne Barbiano. In quorum 3. cùm dixisset, omnem gratiam, & omnem plenitudinem omnibus modis in B. Virginem conuenire, esse notum ex terminis, addit: *Ex terminis, inquam, Matris Dei, cuius dignitatem infinitam simpliciter agnoscimus.* *Barbian.*

CAPVT IV.

Proponitur primum argumentum pro infinitudine huius dignitatis.

61. *Dignitas moralis desumitur etiã ex dignitate filiorum.* Illud tanquam omnino certum supponendum est, sicut magnæ æstimationis, & excellentiæ est ducere originem a parentibus nobilibus; ita etiam in eodem genere moris magnam æstimation[illegible] & dignitatem deriuari

uari in parentes à dignitate,& nobilitate filiorum; augendamque esse dignitatem parentis, si filius ascendat ad Regale solium. Quod in B. Maria adhuc certius est, quæ sine dubio maximam capit dignitatem ex eo, quòd sit Mater Dei. Quod optimè perpendit B. Petrus Damianus *serm. 3. de Natiu. B. Mariæ*, his verbis: *Beata verò Maria, licet de generosa sit Patrum stirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentissima nobilitatis genus, qui de illa est nouo nascendi genere procreatus; & per clarissimam sobolem, omnem humani stemmatis excedit nobilitatem. Clara proauorum titulis, sed incomparabiliter clarior generositate prolis: filia siquidem Regum, sed Mater Regis Regum.*

Igitur hęc infinita dignitas probatur primò. Tantò magis crescit dignitas parentis, quantò crescit dignitas filij: sed dignitas filij Mariæ crescit in infinitũ: ergo dignitas Matris crescit in infinitum. Minor, & consequentia patent. Probatur Maior. Mater Marchionis dignior est matre priuati Equitis; deinde si adsit Dux duplo nobilior, & potentior Marchione, mater illius erit duplo dignior matre huius: item si existant duo Reges, quorum alter duplo Maiestatis excessu alterum superet, sine dubio mater potentioris æstimabitur tanquam duplo dignior Matre alterius. Dicendum ergo est, tantò magis crescere dignitatem Matris, quantò magis augetur dignitas filij; quamvis dignitas Matris minor sit dignitate Regis: si ergo dignitas filij Virginis in infinitum crescit, etiam in infinitum augebitur dignitas Ma- 61. *Prima probatio ex calculatione.*

tris, licet hæc dignitas minor sit dignitate filij.

63. *Rich.lius.* Quo argumento vsus est Dionysius Richelius *lib. 1. de laud. b. Virg. art. 15.* licet sub vniuersalioribus nominibus causæ, & effectûs. Ita enim ait: *Secundum philosophica documenta res illæ sunt nobiliores, quæ maioris, & altioris extant fœcunditatis, & causalitatis; imò iuxta Philosophum vnumquodq; tunc in sua specie, & natura perhibetur perfectũ, dum potest sibi simile generare. Nonne igitur nobilissima, ac perfectissima ritè asseritur, & quodammodò infinita excellentiæ esse conuincitur, quæ concepit, & peperit Deum Deorum, germen Maiestatis omnino immensæ; quæ Mater, & causa est eius, à quo omnis causalitas; cuius fructus ac filius omnem effectum, & fructum, ac filium excellentia simpliciter infinita transcendit.* Neque sunt verba limitantia, aut diminuentia illa, *Excellentiæ quodammodò infinitæ.* Illa enim particula *quodammodo*, addita est ad denotandum, hoc non esse infinitum perfectionis, & per essen‑ ... , sed alterius generis excellentiæ, scilicet ... esse moris, vt etiam notauimus §. 43. circa testimonium D. Thomæ.

Eo nobilior est causa, quo perfectior est effectus.

64. Confirmatur primò. Si enim duæ mali existant, quarum altera ferat poma paruula & insipida; altera verò edat poma sapida & ingentia, maiori pretio habebitur malus ista secunda; & quantò magis creuerit pretium fructuum, tantò arboris pretium augendum est: ergo quantò magis creuerit dignitas filij, tantò magis crescere debet dignitas Matris. Qua

ratione

ratione vſus eſt Albertus Magnus *de laudib. Virg. c.* 107. his verbis: *Omnis arbor ex ſuo fructu cognoſcitur: ergo ſi fructus fructum excellit improportionabiliter, etiam arbor arborem improportionabiliter.* Quod de improportionabili, ſeu infinita excellentia huius Virgineæ arboris dixit Albertus. Quod autem apud Albertum idem ſit, *improportionabiliter*, ac *infinitè*, patet *ex diſp. ſequenti*, §. 109. Quam rationem vſurpauit etiam Bernardinus de Buſto *4. part. Marial. ſerm. 7. p. 1.* *Albertus.* *Buſto.*

65. *In Patre arguitur dignitas infinita ex infinito filio.* Confirmatur ſecundò. Pater Æternus infinitam habet dignitatem ex eo, quòd habet Filium infinitum: ergo etiam Mater Dei, quamvis alio inferiori modo, dignitatem habebit infinitam ex infinita Filij dignitate. Et hoc argumento vſus eſt P. Ioannes Oſſorio *tom. 3. concion. 1. in Aſſumpt. B. Mariæ, §. Quid ergo*, his verbis: *Sicut ergo infinita eſt dignitas Patris Æterni, de qua ille infinitè gloriatur, quòd eius filius infinitus ſit: ita ſuo ordine ac gradu infinita dignitas Mariæ eſt, quòd eundem habeat communem cum Patre filium.* *Oſſorio.*

66. *Ex hypotheſi impoſſibili augetur vis argumenti.* Confirmatur tertiò. Si per impoſſibile Pater Æternus eſſet duplo maioris excellentiæ, quàm Filius, & vterque incarnari vellet; ſanè Mater Patris incarnati duplo eſſet dignior, quàm Mater Verbi incarnati. Si enim taxari deberet quantitas inæqualitatis, quæ eſſet inter has duas Matres, non apparet, quomodò aliter taxanda eſſet, niſi quòd ex proportione dupli, vel tripli, qua Pater excedit Filium, eâdem Mater Matrem ſuperaret. Ergo quantùm

crescit dignitas filij, tantùm crescit dignitas matris; atque adeò crescente in infinitum dignitate filij, in infinitum augeri debet dignitas Matris.

67. *Vn argumēti ex infinita serie matrum se excedentium.* Confirmatur quartò. Constituatur series matrum nobiliorum, & nobiliorum sine termino, se excedentium proportione dupli, tripli, & quadrupli, scilicet eadem proportione, qua filij nobiliores, & nobiliores in infinitum; quos ita in statu possibilitatis contineri, nemo dubitabit. Tum sic: Sola dignitas Matris Dei superat pretio, & æstimabilitate omnes illas matrum dignitates collectiuè: ergo continet eminentiori modo omnes illos infinitos gradus æstimationis. Omnes autem illi gradus æquales æstimationis infinitam constituunt æstimabilitatem: est ergo infinitè æstimabilis hæc dignitas Matris Dei.

68. *Obiectio cōtra calculationem.* Hoc autem argumentum maiores vires accipiet, si satisfaciamus obiectioni, quæ communis est in hac materia calculationum. Obiicient ergo, ex simili calculatione nō bene inferri infinitudinē. Etenim cognitio perfectionem accipit per ordinem ad obiectum; & ita eò perfectior est cognitio, quò plura, vel perfectiora obiecta cognoscit: vnde cognitio, quæ attingit duo obiecta, perfectior est, quàm ea, quæ vnū eorum attingit; & quæ attingit tria perfectior est, quàm quæ attingit duo; & sic de reliquis sine termino: & tamē inde malè inferes, cognitionem attingentem infinita obiecta, esse infinitè perfectā; sicut neque inferri valet de cognitione attingente obiectum infinitum. Simile est argumentum in materia prima,

ma. Nam materia, quæ respiceret tres formas, perfectior esset, quàm quæ duas respiceret; & quæ respiceret quatuor, perfectior esset respiciente tres, & sic in infinitum: non tamen inde inferes, eam, quæ respiciat infinitas formas, esse infinitè perfectam; ergo neque valet in præsenti materia ex simili calculatione inferri, infinitam esse dignitatem Matris Dei.

Pro solutione suppono, quamuis in reliquis infiniti generibus ex infinitis entitatibus, gradibus, aut extensionibus resultet infinitum in numero, intensione, aut extensione, licèt non contineat omnes entitates, gradus, aut extensiones possibiles: hoc tamen esse peculiare infiniti in perfectione, vt definiatur esse illud, quod continet omnem perfectionem possibilem; neque ad illius essentiam sufficere, si habeat formaliter, aut æquiualenter qualescumque infinitos gradus perfectionis. Quod, præterquam quod ex communi definitione constat, hac ratione apertè conuincitur. Illud non est infinitum, quod in suo genere habet terminum, & limitationem; cùm infinitum sit illud, quod caret termino: sed quod non continet totam perfectionem possibilem, in genere perfectionis habet terminum, & limitationem: ergo quod non continet totam perfectionem possibilem, non est infinitum. Probatur Minor. Quod non continet totam perfectionem possibilem, est admixtum imperfectione: atqui quod admixtum est imperfectione, terminum habet in genere per-

69. *Infinitum perfectionis requirit totam perfectionẽ possibilem. Et quare?*

fectionis: ergo quod non continet totam perfectionem possibilem, habet terminum in genere perfectionis. Probatur Minor. Nulla res ita verè & propriè est terminus, & limitatio perfectionis, sicut imperfectio; hæc enim est, quæ detinet, & cohibet perfectionem, ne augeatur. Atque ex dictis colligitur, has esse definitiones synonymas infiniti in perfectione: *Quod ita est perfectum, vt careat termino suæ perfectionis. Quod ita est perfectum, vt careat omni imperfectione. Quod continet omnem perfectionem possibilem.*

70. *Soluitur obiectio.* Hinc respondetur primò ad obiectionem. Etenim non infertur infinita perfectio ex eo, quòd cognitio excedat infinitas cognitiones perfectiores, & perfectiores sine termino, & contineat illas formaliter, aut æquiualenter. Nam, vt diximus, id non sufficit ad infinitum perfectionis, sed requiritur, quòd talis res contineat totam perfectionem possibilem, & careat omni imperfectione. Quod non contingit in valore, & æstimabilitate morali, in qua non militat argumentum factum in infinito perfectionis; ideóque si inuenerimus infinitos gradus pretij, & æstimabilitatis; infinita æstimabilitas constitui poterit.

71. Quod materiali exemplo licet explicare. Nam si dentur infiniti annuli aurei, quorum singuli æstimentur singulis nummis aureis; vtique ex illis infinitis resultabit pretium infinitorum nummorum. Ad eum ergo modum ex infinita serie matrum se in æstimatione morali excedentium, si omnes earum dignita-

tes

tes per æquiualentiam coniungantur in matre vna, constituetur æstimabilitas infinita.

Respondetur secundò iuxta mentem aliorum, qui in prædictis calculationibus dicunt, creaturas perfectiores non se excedere in illa serie per gradus æquales, sed per gradus proportionales. Etenim cognitio, quæ respicit duo obiecta, vel vnum obiectum duplo perfectius, quamvis excedat cognitionem attingentem vnum obiectum imperfectius, tamen in suo excessu limitatur ex parte intellectus, & aliorum comprincipiorum. Vnde non est mirum, quòd tota series creaturarum perfectiorum, & perfectiorum sine termino non pertingat ad perfectionem simpliciter infinitam. Quod non euenit in infinito in genere moris: quod quamvis imperfectionibus propriis rerum creatarum admistum sit; per illas tamen non limitari, ostendam capite sequenti. 72. *Secunda solutio de excessu per partes proportionales.*

Ad extremum notandum est, quamvis dixerimus infinitos gradus æstimabilitatis eo ipso constituere infinitam dignitatem, & æstimabilitatem, id intelligendum esse, dummodò seruentur conditiones, & limitationes, quæ ad denominationem eius infiniti requiruntur: quas quidem ad hoc genus infiniti requiri, capite sequenti latè ostendam. Quæ conditiones omnes in dignitatem Matris Dei optimè congruunt, vt ex dicendis patebit. In iis autem casibus, in quibus facta calculatione reperiantur gradus infiniti, desit tamen aliqua conditio ex requisitis ad denominationem, dicendum 73. *Limitatio doctrina tradita.*

 est,

est, eos infinitos gradus calculationis constituere infinitum numericum, siue extensiuum, non verò intensiuum. Quod in dignitate Matris Dei dici non potest; cùm in illa reperiantur omnes conditiones requisitæ, & aliunde reperiantur infiniti gradus æstimabilitatis.

CAPVT V.

Aliud argumentum pro eadem infinitudine dignitatis.

74. *Ex titulo physico infinito arguitur infinita dignitas.*

SEcundum argumentum pro eadem conclusione est. Quoties titulus physicus alicuius moralitatis est infinitus, toties æstimabilitas inde resultans infinita est: sed titulus physicus dignitatis Matris Dei est infinitus: ergo dignitas Matris Dei est infinita. Maior patet: tum quia totum esse reale moralitatis est titulus physicus; ideóque qualis fuerit titulus, talis esse debet & moralitas. Tum etiam, quia valor meritorum Christi Domini ideo est infinitus, quia titulus physicus, in quo fundatur, est dignitas personæ, quæ infinita est. Quæ quidem Maior quibusdam limitationibus infrà subiiciendis intelligenda est. Minor verò eius syllogismi probatur. Titulus physicus huius dignitatis, & æstimabilitatis, quam habet Mater Dei, est Filius: atqui Filius, vtpotè Deus, est infinitus: ergo titulus infinitus est.

Dices

Dices primò, titulum physicum huius æstimabilitatis non esse Filium, sed actionem physicam, siue influxum, quem B. Virgo habuit in naturam humanam Christi Domini. Sed contrà est manifesta impugnatio. Nam sola actio physica terminata ad naturam humanam non potest conferre tantam æstimabilitatem, quantam habet dignitas Dei; vnde hæc æstimabilitas ab alio principio magis dignificante oriri debet, & in altiori titulo fundari, qui non potest esse alius, nisi dignitas ipsius Filij. Quod ampliùs vrgetur. Nam si à sola actione physica acciperet æstimabilitatem Matris Dei, non haberet maiorem dignitatem B. Virgo, quàm habet mater puri hominis; cùm actio physica in vtraque matre æqualis sit: atqui erroneum esset dicere, in B. Virgine non esse maiorem dignitatem Matris, quàm in matre puri hominis; cùm definitum sit ab Ecclesia, B. Virginem non solùm esse matrem hominis, sed esse etiam Matrem ipsius Dei. 75.

Dices secundò, actionem physicam esse titulum saltem partialem huius dignitatis; quæ cùm finita, & limitata sit, limitabit dignitatem: nam ad hoc vt illa esset infinita, vterque titulus partialis deberet esse infinitus. 76.

Sed minus probabilis est hæc responsio. Primò, quia opera Christi Domini sunt infiniti valoris; cui infinitudini non obstat, quòd meritum includat actionem physicam creatam, quæ in esse entis finita est, & limi- 77.

tata. Secundò, quia Christus Dominus, qui est suppositum, ex subsistentiâ Diuinâ, & vtrâque naturâ constitutum, verè est quid infinitum, quamvis includat naturam humanam, quæ finita est. Similiter ergo dignitas Maternitatis in Virgine erit infinita ex Filio, quamvis includat actionem physicam finitam. Concedam quidem libenter, Mater- r˙ ·rem physicè, & in esse entis finitam esse ... one physica finita: sicut opera Christi ... omini in esse entis finita sunt, vtpotè entia creata, non sic in esse moris. Quod idem euenit in infinitate peccati; quod licèt in esse entis finitum sit, tamen in esse moris, & in ratione offensæ est simpliciter infinitum.

78. *Quædam limitationes doctrinæ traditæ.* Notandum tamen est, hanc doctrinam de titulo physico refundente infinitudinem, quibusdam limitationibus temperandam esse. Prima, vt titulus intrinsecus sit; vel si extrinsecus, sit effectus à causa efficiente proueniens. *Titulus non debet esse extrinsecus, nisi sit causa efficiens.* Nam aliis rebus extrinsecis non communicari infinitudinem ab extrinseco principio, patet in actu charitatis, qui licèt feratur in obiectum infinitum, nempe Deum; non tamen est infinitus, quia omnino extrinsecè se habet ad illum. Adhuc tamen causa efficiens, licèt extrinseca sit effectui, participabit infinitudinem ab effectu infinito; nam producere effectum in se immediatè infinitum, arguit infinitam excellentiam in causa. Quare si per impossibile aliqua creatura esset productiua alicuius personalitatis Diuinæ, in tali creatura argueretur dignitas infinita, quamvis termi-

nus

nus productus illi esset extrinsecus. Et hinc patet, quomodo nihil desit ad hoc, vt ea dignitas Matris infinita sit; cùm quælibet Mater sit causa efficiens sui filij.

Obiectio. Dices B. Virgo per generationem Maternam non concurrit actiuè, sed solùm passiuè: ergo B. Virgo non est causa efficiens sui filij; atque adeo corruit fundamentum huius infinitudinis. Antecedens probatur. Nam, vt docet S. Thomas *3. part. quæst. 32. art. 4.* *S. Thom.* cæteræ Matres non concurrunt actiuè, sed solùm passiuè: atqui non debemus Virgini ampliorem concursum tribuere, quàm cæteris mulieribus; præcipuè cùm in B. Virgine sit quàm maxima puritas Virginitatis, cui actiuus concursus officere videtur.

Prima responsio. Respondetur primò, plures, & graues Doctores concedere B. Virgini concursum immediatum actiuum, seclusis imperfectionibus purissimæ Virginitati officientibus; eo quòd *B. Virgo concurrit actiuè, secundum aliquos.* censent, omnes matres habere concursum immediatum actiuum ad formandam prolem; ideóque non negandum esse B. Virgini, quæ tam propriè Mater est, ac cæteræ aliæ. Quam sententiam P. Suarez *tom. 2. in 3. part. disp. 10. sect. 2. §. Hæ rationes*, *Suarez.* asserit esse valde probabilem, & multùm verisimilem, & non alienam à modo loquendi Sanctorum Patrum, *S. Damasc.* præcipuè Damasceni, & Anselmi, quorum *S. Anselm.* verba ibi refert. Et pro ea citat S. Bonauen- *S. Bonau.* turam *in 3. dist. 4. art. 2. quæst. 1.* Scotum, & *Scotus.* Gabrielem *ibidem, quæst. vnic.* Maiorem *ibid.* *Gabriel.* *quæst. 3.* & Richardum *art. 2. quæst. 1.* *Maior.* *Richard.*

Respon

Secunda responsio. Respondetur secundò iuxta sententiam S. Thomæ proximè citati, non posse negari efficientiam in aliquibus ex parte Matris. Nam, vt ipse S. Doctot ibidem in fine corporis loquitur: *Operata est ante conceptionem aliquid actiuè præparando materiam, vt esset apta conceptui.* Deinde solum negat, quòd operata fuerit actiuè medio semine;non verò negat,quòd efficienter concurrerit ad formationem prolis medio calore vteri, & accidentibus purissimi sanguinis, atque spiritibus vitalibus: imò potiùs concedit *in 3. distinct. 3. quæst. 1. art. 1.* vt obseruauit P.Suarez citatus. Hæc ergo efficientia in opus Incarnationis, sicut sufficiens est, vt dicatur B. Virgo actiuè concurrisse ad illud; ita etiam est sufficiens, vt dicatur causa efficiens illius.

Omitto tertiam responsionem iuxta sententiam aliquorum asserentium, B. Virginem actiuè concurrisse ad vnionem hypostaticam per virtutem à Spiritu Sancto infusam, quam sententiam inuenies in assertis Salmanticensibus P.Ioannis Barbiani *assert.* 4. Omitto,inquam,donec ea à viris doctis ampliùs examinetur; neque enim vacat hîc eam examinare.

79. *Filius intrinsecus est matri, in æstimatione prudentum.* Imò etiam B.Virgini conuenit altera pars, scilicet quòd titulus, siue forma denominans sit illi quid intrinsecum. Quod non ita intelligendum est, quasi debeat esse physicè intrinsecum: sufficit enim si sit intrinsecum moraliter, & quòd in æstimatione prudentum intrinsecum reputetur. Et ita P. Petrus

Hurta

Hurtado *disp. 9. de Incarn. sect. 3.* docet, peccatum, quod infinitum est in ratióne offensæ, suam infinitatem accipere à dignitate personæ offensæ: quia quamvis physicè dignitas personæ offensæ sit aliquid extrinsecum respectu peccati: moraliter tamen, & in æstimatione prudentum iniuria censetur aliquid intrinsecum personæ offensæ. **Hurtado.**

80.

Quòd verò filius sit moraliter intrinsecus matri, inde constat, quòd filius censetur esse quædam pars sui parentis, imò & eadem persona cum illo. Quod commune est in Iurisprudentia, quæ totius humanæ prudentiæ ius est, & regula. Ita *l. final. C. de impuberum, & aliis substit.* his verbis: *Cùm & naturâ pater, & filius eadem esse persona penè intelligantur.* Et *l. scimus, C. de agricol. & censit. lib.* 11, filius dicitur non absens ab agro colendo, cui pater adfuit: & ratio redditur. *Cùm enim pars quodammodò corporis per cognationem in fundo remanebat, non videtur neque abesse, neque peregrinari.* Et ob hanc causam filij, qui sunt sub potestate patris, obtinent hæreditatem sine eo quòd illam adeant: scilicet quia cùm filius reputetur eadem persona cum patre, censetur, etiam viuo patre, habere dominium hæreditatis: & non tam dicitur, mortuo patre, adquiri hæreditatis dominium, quàm continuari. Ita præter textus alios habetur §. *Sed sui, Instit. de hæredum qualitatib.* ibi: *Sui quidem hæredes ideo appellantur, quia domestici hæredes sunt, & viuo quoque patre, domini quodammodo existimantur.* Vbi glossa *verb.* **Filius censetur eadē persona cū Patre, in humanis.**

Existi

Existimantur, addit: *Scilicet ex artificio iuris ciuilis, quod fingit eandem personam patrem, & filium.* Dicitur autem fingere ius ciuile, quando id, quòd secundùm entitatem physicam res non habet, id tamen moraliter, & in prudenti æstimatione censetur habere. Idem habet lex Hispana 21. *tit.* 3. *part.* 6. Et hinc etiam fit, quòd si pater stipulatur pro filio, per hanc stipulationem sibi adquirit: *Quia vox tua tanquam filij sit, & filij vox tanquam tua intelligitur.* Vt habetur §. *Ei verò, Instit. de inutilibus stipulat.* Et ideò filium censeri eandem personam cum patre, & esse partem illius sæpiùs repetunt Iurisprudentes. Ita Oldradus *consil.* 95. Castillo *consilio* 38. *num.* 12. Signorolus *consil.* 159. *initio*, Chassaneus *consil.* 53. *numer.* 5. Castrensis *lib.* 2. *consil.* 164. *colum.* 3. *num.* 3. Socinus *lib.* 1. *consil.* 1. quos refert, & sequitur Cardin. Thuscus *lit. F. conclus.* 351. Item Abbas *lib.* 1. *cons.* 85. *num.* 5. qui Authores id multis probant, & exornant.

Oldradus. Castillo. Signorol. Chassan. Castrensis. Socinus. Thuscus. Abbas.

81. Id, quod etiam tradidit Aristoteles 8. *Ethicor.* illis verbis: *Filij à parentibus sunt veluti alteri ipsi inseparati.* Et Tullius *orat.* 3. *in Verrem*, ibi: *Cum filiis viui bona non partimur, quia pro eadem persona habentur.* Et ob hanc rationem parentes non reputantur mortui dum filij supersunt, vt dicitur *Ecclesiast.* 30. *Mortuus est, sed non erat mortuus, reliquit enim similem sibi post se.* Et ideò B. Petrus Damianus *serm.* 1. *de Natiu. B. Mariæ*, dixit, B. Virginem habere naturæ identitatem cum Deo

Aristotel. Tullius. Eccles. 30. Petr. Dam. B. Virgo habet identitatē naturæ cum Filio.

Deo in hæc verba: *Quarto modo ineſt Deus vni creaturæ, videlicet Mariæ Virgini, identitate, quia idem eſt, quod illa. Hic taceat, & contremiſcat omnis creatura, & vix audeat aſpicere tantæ dignitatis, & dignationis immenſitatem. Dominus tecum, inquit Archangelus. Habitat in Angelis Deus, ſed non cum Angelis, quia cum illis eiuſdem non eſt eſſentiæ. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem.* Et caue, ne id referas ad identitatem eiuſdem naturæ quoad ſpeciem dumtaxat: quia hoc modo non ineſſet Deus vni creaturæ tantùm, vt ait Damianus; ſed omni humanæ naturæ, & omnibus eius indiuiduis. Quod didicit à S. Auguſtino *homil.* 4. *de Aſſumpt.* vbi ait: *Si igitur natura Matris eſt Filius, conueniens eſt, vt ſit & Filij Mater; non quantum pertinet ad æquam adminiſtrationem, ſed quantum pertinet ad eandem reciprocam ſubſtantiam.* Ex quibus deſumpſit Albertus Magnus *lib. de laudib. Virg. cap.* 199. ita loquens: *Poteſt inter ipſos notari identitas in natura.* Quod *in eo cap.* latè explicat, & *cap.* 238. ait: *Propinquiſſima* (ſcilicet Chriſto) *ſimilitudine, dignitate, familiaritate, naturæ vnitate.* Quam eandem identitatem optimè deſcribit Arnoldus Carnotenſis & Dionyſius Richelius citandus *infrà*, §. 156. *S. Auguſt.* *Albertus.* *Arnoldus.* *Richelius.*

Et hinc ſoluta manet ea obiectio, quæ ſententiæ noſtræ poſſet opponi. Scilicet ex ea inferri, multas eſſe dignitates ſimpliciter infinitas, v. g. eſſe Chriſti pædagogum, qualis fuit 82. *Dignitates reſpicientes Chriſtum non infinitæ.*

fuit S. Iosephus; esse custodem humanitatis Christi Domini, qualis creditur fuisse aliquis Angelus, saltem ad obsequia famulatus, & similes. Nam hæ omnes dignitates videntur habere titulum physicum infinitum, nempe Christum Dominum. Respondetur enim, has dignitates non participare infinitudinem ab eo termino infinito, quem respiciunt, quia extrinsecè se habent ad illum; neque illum respiciunt per modum causæ efficientis. Quod aliter euenit in dignitate Matris Dei, vt ostendimus.

83\. *Vt dignitas sit infinita, requiritur subiectum capax denominationis.* Secunda limitatio eius doctrinæ est, sicut in cæteris denominationibus, ita & in denominatione infinitæ dignitatis requiri, quòd subiectum, cui præbetur denominatio, capax sit talis denominationis. Quamvis enim lapidi vniretur intellectio, non denominaretur lapis intelligens; neque Angelus calidus, quamvis illi calor supernaturaliter inhæreret. Similiter ergo, si subiectum ex se incapax sit infinitudinis, non poterit illam à termino, aut à titulo infinito participare. Quod videre licet in peccato veniali. Etenim quamvis peccatum lethale sortiatur grauitatem infinitam ex Maiestate Dei offensi; tamen peccatum veniale non participat eam infinitudinem, quamvis pugnet etiam contra infinitam Dei Maiestatem, & ex hac semper crescat grauitas offensæ. Cuius ratio est, quia quantumvis crescat ex ratione Maiestatis offensæ, etiam facta calculatione similium iniuriarum in personas digniores, & digniores sine termino; semper

ſemper tamen creſcit intra naturam peccati leuis, atque adeò cùm leue ſit, non poteſt eſſe infinitum, vt optimè perpendit P. Petrus Hurtado *diſp. 9. de incarn. ſect. 4. ſubſect. 2.* Et ita poteſt reſponderi ei obiectioni, quæ alias dignitates contendit eſſe infinitas, ſcilicet eſſe Pædagogum Chriſti, & ſimiles à Maternitate diſtinctas, quæ non ita magnæ reputantur, ſed leues, eo quòd manent intra naturam puri famulatus. Neque eſſe cuſtodem, quamvis creſcat per calculationem infinitam, poteſt creſcere, niſi intra naturam cuſtodis, & puri famuli; quæ cùm leuis ſit dignitas, nequit eſſe infinita. Quæ leuitas, aut paruitas Maternitati Dei ex terminis repugnat. *Hurtado.*

Tertia limitatio eſt, titulum phyſicum infinitum debere immediatè afficere ſubiectum, vt iſtud infinitè dignum denominetur; nam ſi ſolùm mediatè afficiat ſubiectum, vel ipſe titulus non ratione ſui immediatè habeat infinitudinem, ſubiectum non poterit reddi infinitè dignum. Et ratio eſt, quia vt talis titulus reddat ſubiectum infinitè dignum, debet eſſe intrinſecus ſubiecto, vt dixi §. 78. atqui non eſt intrinſecus, ſi ſolum mediatus ſit, & non immediatè afficiens ſubiectum. Et hæc dicta ſunt propter aliquas dignitates, quæ excogitari poſſunt, ita vt mediatè ſolùm verſentur circa Chriſtum Dominum, eo quòd immediatè verſentur circa Beatam Virginem. 84. *Titulus infinitus debet immediatè afficere ſubiectum.*

CAP. VI.

Maternitatem Dei esse summam dignitatem possibilem, rationibus confirmatur.

85. HVc vsque probauimus, infinitam esse hanc dignitatem. Restat probandum, impossibilem esse in pura creatura aliam maiorem dignitatem, atque adeò hanc esse summam possibilem. Probatur ergo primò. Si aliqua dignitas possibilis esset maior Maternitate Dei, illa esset, esse iustum, aut beatum: atqui Maternitas Dei maior est vtroque: ergo illa est maxima possibilis. Maior videtur indubitata; cùm non sit excogitabile aliquid maius, quàm esse Dei amicum, & ipsa Dei magnitudine fruentem.

Prima ratio ex eo, quòd superet dignitatem iusti, & beati.

86. Quòd autem Matris Dei dignitas maior sit gratiâ sanctificante, multis probat P. Suarez *tom.* 2. *in* 3. *part. disp.* 1. *sect.* 2. & P. Ripalda *tom.* 2. *de Ente supernaturali, disp.* 79. *sect.* 7. ex quibus sic probo assumptam propositionem.

Suarez. *Ripalda.*

87. Primò. Ex dignitate Matris Dei, nullo alio fundamento præmisso, colligunt Patres, & Doctores prærogatiuas omnes, & priuilegia gratiæ, quæ in B. Virgine constituuntur: adeò vt communiter affirment, in B. Virgine constituenda esse priuilegia, & gratias, quæ in reliquis

Ex Maternitate colligitur ingens cumulus gratiarum, non verò ex tia.

liquis Sanctis constituta sunt: quod non aliter probant, nisi quia omnia censentur debita dignitati Matris: ergo perfectior est Maternitas reliquis gratiæ donis. Consequentia patet: alioqui enim malè inferrent ex dignitate minori alia dona maiora, & excellentiora; præcipuè cùm id inferant propter excellentiam, & magnitudinem, quam vident in ea dignitate.

Antecedens verò penè innumeris Sanctorum Patrum testimoniis probari potest. Vnus est pro multis S. Thomas *3. part. quæst. 27. art. 5. corp.* vbi hæc habet: *Ex ea accepit humanam naturam, & ideò præ cæteris maiorem debuit à Christo gratiæ plenitudinem obtinere.* Nota in Theologorum Principe, illam causalem particulam, *Et ideò*, & cognosces Maternitatem esse rationem à priori ad colligendam in B. Virgine illam maiorem gratiæ plenitudinem. Et *eadem quæst. 27. art. 1. corp.* ait: *Rationabiliter enim creditur, quòd illa, quæ genuit vnigenitum à Patre plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus aliis maiora priuilegia gratiæ acceperit.* Quæ priuilegia ex eo solùm colligit, quòd genuerit vnigenitum à Patre. Quod didicit ab Augustino *lib. de natura, & gratia, cap. 36.* inferente eximiæ gratiæ collationem ex Maternitate, his verbis: *Inde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quòd concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Patres autem, & Doctores veteres, qui ex Maternitate Dei colli-

88. S. Thom. S. August.

gunt in B. Virgine cætera dona gratiæ, quamplurimi sunt, quos refert P. Suarez citatus. Ita S. Bernardus *epist.* 174. Idiota *lib. de contemplatione B. Mariæ, cap.* 2. *tom.* 3. *Biblioth.* S. Bonauentura *in specul. cap.* 5. 6. & 7. S. Augustinus *serm.* 1. *de tempore.* S. Ioannes Damascenus *orat.* 1. *de Dormitione Virg.* S. Athanasius *serm. de Deipara.* S. Cyprianus *serm. de Natiu. Christi.* S. Petrus Chrysologus *serm.* 143. S. Laurentius Iustinianus *serm. de Assumpt.* S. Petrus Damianus *serm. de Assumpt.* S. Hieronymus *epist.* 104. *ad Principiam*, & *serm. de Assumpt.* S. Methodius *orat. de Purificat.* Albertus Magnus *lib. de laudib. Virg. cap.* 69. 70. & 71. Additque P. Suarez vbi suprà: *Hoc denique supponunt omnes Theologi, D. Thomas, & cum eo Caietanus, Antoninus, Durandus, & alij.* Scilicet omnes omnium Sanctorum gratias ex Maternitate colligi in B. Virgine. Item S. Ildephonsus, S. Bernardinus, S. Bernardus, & Dionysius Richelius, citandi *disp. sequenti, cap.* 8. Et ideò P. Barradas *tom.* 1. *concord. lib.* 6. *cap.* 2. dixit: *Quemadmodum Theologis titulus Filij Dei principium est, ex quo humanitatis Christi dona excellentissima colligunt; est enim homo Christus Dei Filius, & Deus: ita titulus Matris Dei principium est, ex quo collata à Deo eximia munera iidem Theologi inferunt.* Quod idem dixit P. Benedictus Fernandez verbis citandis *disp. sequenti, cap.* 8. vbi etiam P. Ioannes Osforio. Item P. Petrus Morales *in cap.* 1. *Matth. lib.* 3. *tract.* 7. *num.* 22. Lezana *in apolog. pro Conceptione Immac. cap.* 25. §.

S. Bernard. Idiota S. Bonau. S. August. S. Damasc. S. Athan. S. Cyprian. S. Chrysol. S. Lau. Iust. S. P. Dam. S. Hieron. S. Method. Albertus. Suarez. S. Thomas. Caietan. Antonin. Durand. S. Ildeph. S. Bernard. Richelius. Barradas. Fernand. Osforio. Morales. Lezana.

Nec silentio, Adamus Brouverus *tract. de Salutat. Angel. cap.* 1. *quæst.* 36. Alexius à Salo *in arte amandi Deiparam, cap.* 3. & alij passim Recentiores. *Brouver.* *Salo.*

89. Et hic quidem discursus est Alberti Magni, quem refert, & sequitur S. Antoninus 4. *part. tit.* 15. *cap.* 20. §. 9. hæc scribens: *Præterea quod claudit alterum in se, plus est, & magis eligendum, quàm illud, quod non claudit: sed esse Matrem Domini secundum naturam, claudit in se esse filium adoptiuum per gratiam necessariò, quia aliter non fieret Mater Dei: ergo plus est esse Matrem, quàm filium adoptiuum.* Quæ verba eodem ferè tenore habet Albertus *lib. de laudib. Virg. cap.* 180. Nam quòd Maternitas claudat in se filiationem adoptiuam, significat, hanc esse illi debitam, vt denotat tum id verbum, *necessariò*, quod exigentiam indicat; tum ratio, quam subdit, *quia aliter non fieret Mater Dei*; quæ solùm probat, dari prædictam exigentiam & connexionem. Ex eo autem quòd Maternitas per modum exigentiæ includat filiationem adoptiuam, eo discursu rectè inferunt hi Doctores, Maternitatem esse ampliorem dignitatem. Quo etiam sensu loquutus est B. Thomas de Villanoua *tom.* 2. *serm.* 2. inquirens, cur Euangelistæ omiserint gesta, & merita Virginis: *Quid vltra requiris in Virgine? Sufficit tibi, quòd Mater Dei est. Vbi ergo totum erat, pars scribenda non fuit.* Igitur Maternitas dicitur esse totum respectu aliarum gratiarum, quia est quasi principium illas continens eminenter. *Albertus.* *S. Anton.* *B. Thom. de Villan.*

90. *Materni-tas est ra-dix gratiæ.* *Suarez.* Confirmatur. Etenim Maternitas est principium, & quasi radix gratiæ sanctificantis; & vt loquitur P.Suarez citatus, *Comparatur hæc dignitas Matris Dei ad alias gratias creatas tanquam prima forma ad suas proprietates.* Inferiùs addens, has gratias in Maternitate eminenter contineri. Sicut ergo in composito prima forma perfectior est proprietatibus; ita & Maternitas reliquis donis gratiæ. Maior ostenditur. Radix moralis est illa, propter cuius excellentiam cætera illi debentur; vt patet in vnione hypostatica, quæ propterea dicitur radix, & principium morale reliquæ plenitudinis gratiarum existentis in Christo: atqui propter excellentiam Maternitatis Dei debentur B. Virgini dona gratiæ sanctificantis, auxiliantis, &c. Ex hoc enim debito ea dona inferunt Patres, vt modò dicebamus: est ergo radix, & principium morale illarum. *Benzon.* Et ideò Rutilius Benzonius *lib.*4. *in Magnif. cap.*5. dixit: *Omnia enim dona Mariæ in dignitate Matris, tanquam in radice continentur.* Huc vocandi sunt illi Doctores, qui gratiam, & sanctitatem dignitati Matris debitam significant. Nam præter suprà citatos, id ita *Ripalda.* asserunt apud P.Ripalda *disp.*79. *cit.num.*77. *Valenti.* *Albertus.* Iacobus de Valentia *in Magnificat*, ad illud; *Quia fecit mihi.* Albertus *de laudib. Virg. S.Bern.* *cap.*180. S. Bernardus *serm. de Signo magno*, *Guiliel.n.* Guilielmus *in cap.*7. *Cant.* ad id: *Quàm pul-* *S.Ildeph.* *cri sunt gressus tui.* S. Ildephonsus *de partu, & purific. B.Virginis.*

91. Probatur secundò idem excessus Maternitatis

tatis suprà gratiam habitualem. Sancti Patres altiùs, & sublimiùs loquuntur de Maternitate, quàm de gratia habituali: illam enim vocant incomprehẽsibilem, primam post Deum, supremam dignitatem possibilem in pura creatura, vt loquuntur tum Patres & Doctores citati *cap.1.2. & 3.* tum etiam multi alij passim; quod de gratia habituali non affirmant. Ergo sublimior, & perfectior est Maternitas, quàm gratia habitualis. *Altius loquũtur Patres de Maternitate, quàm de gratia.*

92. *Maius est esse Matrẽ quàm filium adoptiuum.*

Probatur tertiò. Maior dignitas est ex genere suo Maternitas, quàm filiatio adoptiua: ergo maius est esse Matrem Dei, quàm esse filium adoptiuum Dei. Antecedens patet; nam Rex v. g. maiorem dilectionem, æstimationem, & cultum debet Matri, quàm filio adoptiuo.

93. *Magis repugnat cũ peccato maternitas, quàm gratia.*

Probatur quartò. Dignitas Matris Dei maiorem repugnantiam affert cum peccato, quàm gratia iustificans: ergo Maternitas dignitate superat gratiam iustificantem. Probatur antecedens. Et quidem quòd Maternitas afferat repugnantiam cum peccato, optimè probat P. Ripalda citatus *sect.9.* & nos alibi vberiùs probabimus constituentes in Maternitate sublimiorem modum incompatibilitatis cum peccato. Quòd verò sit maior repugnantia, quæ competit Maternitati, inde constat; quod repugnantia cum peccato, quam affert gratia habitualis, est amissibilis, sicut ipsa gratia, quam per peccatum potest iustus amittere; at verò illa repugnantia cum peccato, quam affert Maternitas, est inamissibilis,

sicut inamissibilis est ipsa dignitas Matris Dei.

94. *Dominium suprà creaturas competit Maternitati, non gratiæ. Salazar. S. Athan. S. Damasc. S. Anselm. Rupertus. S. Ildeph. S. Bonau.*

Probatur quintò. Titulo Maternitatis habet B. Virgo ius dominij supra omnes creaturas, vt late probat P. Salazar *in cap*. 8. *Prouerb. vers*. 16. *à num*. 122. ex Athanasio, Damasceno, Anselmo, Ruperto, Ildephonso, & Bonauentura; & posset ex plurimis aliis probari: sed iustus titulo sanctificationis non pertingit ad tantam dignitatem dominij: ergo maior dignitas est Maternitas, quàm gratia habitualis.

95. *Matri debet Christus reuerentiam, quam non debet iusto.*

Probatur sextò. Eo maior est dignitas, quo maior reuerentia, & obseruantia ei debetur, & ab altioribus personis: sed Maternitati debet Christus Dominus reuerentiam, & obseruantiam, qualem non debet iusto in quavis intensione gratiæ constituto: ergo maior dignitas est Maternitas, quàm iustitia habitualis.

96. *Maior cultus debetur Virgini ob Maternitatem, quàm ob gratiam.*

Probatur septimò. Maiori adoratione colimus B. Virginem, quatenus est Mater Dei, quàm ratione gratiæ habitualis: ergo sublimior est dignitas Matris. Antecedens probatur. B. Virginem dumtaxat colimus adoratione duliæ, si præscisè consideremus in ea gratiam habitualem, & nihil aliud: hyperduliâ verò ratione Maternitatis, vt est expressa sententia D. Thomæ citandi *disp. sequenti*, *c*. 14. At hyperduliam excellentiorem esse dulia, quis dubitet?

97. Et ideò Maternitatem maiorem esse dignitate gratiæ habitualis, asserunt non solùm illi, qui generaliter docuerunt, hanc esse summam digni

dignitatem possibilem in pura creatura; sed etiam specialiter expresserunt, Albertus Magnus, & S. Antoninus citati §.11.& 12. Ambrosius Spiera *serm. 32. consider. 3. conclus. 2.* Franciscus de Pitigianis citatus §.48. Benzonius §.49. Item Pelbartus *in Stellario, lib. 8. part. 3. art. 2. cap. 1.* & *lib. 1. part. 1. cap. 8.* & sæpe aliàs, Busto 4. *part. Marial. serm. 6. parte 7.* & aliis in locis. P. Petrus *Morales in capite 1. Matth. lib. 3. tract. 7. num. 21.* Lezana *in apolog. pro Immacul. Conceptione, cap. 25. §. Illam quoque.* Luzero *de Concept. discurs. 1. cap. 1. fundam. 1.* Alexius à Salo *in arte amandi Deiparam, cap. 3.* Antonius Rubius *in assertionibus Catholicis de B. Virgine, in errore 9. tom. 3. Biblioth. Virgin.* præter Patres Suarium, & Ripaldam suprà citatos.

Albertus. S. Anton. Spiera. Pitigian. Benzon. Pelbart. Busto. Morales. Lezana. Luzero. Salo. Rubius. Suarez. Ripalda.

98\. Quòd verò Maternitas excedat etiam dignitate visionem beatificam (quæ erat secunda pars eius propositionis, quam assumpsimus probandam) expresè tuetur P. Suarez citatus iis verbis: *Simpliciter maius Dei beneficium existimari debet, eligi Virginem in Matrem Dei, quàm eligi v. g. Petrum ad gloriam, quia illa electio hanc in virtute, & eminentiori modo continet.* Idem asserit Richardus de S. Laurent. *lib. 3. de laudib. Virg. tit. Duodecim Priuilegia, prærogatiua 11. §. Si autem*, vbi ita quæstionem proponit, & soluit: *Si autem quæratur, vtrum maiorem gloriam habuerit Maria in sua Assumptione, quando caro eius tota Sole amicta est, sicut dicitur Apocal. 12. an in Conceptione Filij, & in prægnatione, quando ipsa*

Maternitas excedit visionem. Suarez. Rich. à S. Laur.

ipsa carne suâ totum Solem iustitiæ complectebatur; vnde Hieremias cap. 31. Mulier circumdabit virum? Fateor, me ignorare. Mihi tamen videtur, salua maiorum sententia, gloriosius esse suscipere Regem hospitem, quàm hospitari apud Regem. Illa tamen gloria occultior fuit, quando Regem suscepit, & omnis gloria filiæ Regis fuit ab intus: illa manifestior, quando à Rege cum Regia magnificentia suscepta est: illa secretior, ista solennior.

Hierem. 31.

99. S. Anton. Id etiam dilucidè expressit S. Antoninus 4. *part. tit.* 15. *cap.* 31. §. 1. vbi benè distinguit, quomodo sit maius gaudium de Assumptione, quàm de Maternitate, aut è conuerso; cuius verba (demptis aliquibus, breuitatis causâ, quæ non sunt necessaria) hæc sunt: *Cùm autem gaudium sit de bono recepto, recipiens ergo maius bonum, maior ei extat causa gaudij. Et quamuis in Assumptione eius in cœlum : : : maximum gaudium habuerit, quia illud fuit gaudium beatæ, & continuæ fruitionis, quod nullam secum compatitur tristitiam, laborem, vel necessitatem, quod nondum in vita perceperat : : : vtique maius fuit illud in Assumptione actualiter omni gaudio vitæ. Sed gaudium in Conceptione, & Natiuitate fuit maius illo causaliter: namque fuerat Mater Dei, quod fuit sine corruptione. Et natiuitas fuit causa tantæ exultationis, tantæ gloriæ, & tantæ gratiæ sibi collatæ, quia electa erat, vt esset Mater Dei.*

100. Albertus. Quod desumpsit ex Alberto *lib. de laudib. Virg. cap.* 189. vbi ait: *Gaudium, quod habuit*

in

in Conceptione, maius fuit omnibus gaudiis vitæ, & via: quia tunc accepit, & maius bonum (scilicet Maternitatem,) *& certitudinem omnium aliorum suo tempore conferendorum.* Et paulò post: *Gaudium enim Conceptionis maius fuit causaliter, gaudium Assumptionis actualiter. In Conceptione enim maior fuit bonitatis ostensio, maioris doni* (scilicet Maternitatis) *collatio*, &c.

Quod etiam docuit Bartholomæus Pisanus *lib. 2. de laudib. Virg. fruct. 7. pag. mihi 243.* sic: *Maius est, omnibus paribus, esse Matrem Dei cum omnibus concurrentibus, quàm sibi talem visionem esse communicatam.* 101. *Pisanus.*

Is autem excessus Maternitatis supra visionem beatificam eisdem ferè rationibus probatur, atque excessus illius supra gratiam. Primò, quia Maternitas est ratio à priori, & radix omnium donorum supernaturalium, vt probatum manet: ergo & visionis beatificæ, atque adeo perfectior illâ. Secundò. Sancti Patres sublimiora dicunt de Maternitate, quàm quæ conueniunt visioni beatificæ. Tertiò. Ius dominij supra omnes creaturas habet B. Virgo titulo Maternitatis; quam excellentiam nullus alius habet titulo beatitudinis. Quartò. Christus Dominus debet Matri dilectionem, cultum, & obseruantiam, quam nulli alteri beato debet. Quintò. Hyperdulia debetur B. Virgini titulo Maternitatis, & non titulo visionis beatificæ. Ex quibus omnibus fit, maiorem dignitatem esse Maternitatem ipsa visione beatifica. 102.

103. Cùm ergo post vnionem hypostaticam non sit possibilis dignitas maior, quàm quæ prouenit à gratia sanctificante, & visione beata; & Maternitas Dei superet vtramque; fit manifestum, Maternitatem esse maximam dignitatem possibilem in pura creatura.

CAPVT VII.

Aliis rationibus roboratur eadem conclusio.

104 *Maternitas est summa coniunctio cum Deo.* Probatur secundò. Eò dignior est creatura, quò magis accedit, & coniungitur Deo: sed non est possibilis in pura creatura maior accessus ad Deum, maiorque coniunctio, quàm esse Matrem Dei: ergo non est possibilis maior dignitas in pura creatura, quàm esse Matrem Dei. Minor probabitur *disp. sequenti*, §. 154. Maior verò est ex terminis nota: tantò enim maius est aliquod bonum, quantò magis accedit ad summum bonum.

105. *Maternitati debet Christus dilectionē, qualem nulli alteri dignitati.* Probatur tertiò. Tantò maior est dignitas, quantò maior dilectio, æstimatio, & cultus debitus personæ titulo illius dignitatis, & à sublimiori persona: sed titulo Maternitatis debet Christus Dominus dilectionem, æstimationem, & cultum erga B. Virginem; neque est, aut esse potest in pura creatura aliqua dignitas, ratione cuius debeat Christus tantam æstimationem, dilectionem, & cultum: ergo

ergo hæc eſt ſumma dignitas poſſibilis in pura creatura.

Probatur quartò. Illa eſt ſumma dignitas poſſibilis, cui debetur ſumma adoratio poſſibilis: ſed ſoli Maternitati Dei debetur ſumma adoratio, quæ puræ creaturæ poteſt exhiberi, vt latè probabo *diſp. ſequenti, cap.*14. Ergo Maternitas eſt ſumma dignitas, quæ in pura creatura poteſt reperiri. 106 *Maternitati debetur ſumma adoratio erga creaturam.*

Probatur quintò. Illa eſt maxima dignitas poſſibilis in pura creatura, quæ, ſecluſa quavis Dei promiſſione, fundat ſtrictius ius ad dona ſupernaturalia Dei, ipſumque Deum conſtituit debitorem ſuorum donorum: ſic ſe habet Maternitas: eſt ergo maxima dignitas poſſibilis in pura creatura. Maior ex comprehenſione terminorum patet. Minor verò probatur. Nam, vt conſtabit *ex diſp.ſeq.cap.*18. Chriſtus Dominus etiam vt Deus, tenetur debito naturali honorare Matrem ſuam, eique præſtare honorem ſupernaturalem; idque ſecluſa quavis promiſſione Dei: quod debitum reſpectu alterius puræ creaturæ nec habet Deus, nec habere poteſt, iuxta S.Methodium ibidem allegandum; præcipuè illis verbis: *Euge, euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur. Deo enim vniuerſi debemus, tibi autem etiam ille debet.* Vide ibi totum contextum. Præſtat ergo in hoc dignitas Matris cæteris dignitatibus ad puras creaturas ſpectantibus; atque adeo inter eas omnes poſſibiles ea eſt maxima. 107 *Fundat ſtrictius ius ad dona Dei, quàm quauis alia dignitas.* *S. Methodius.*

CAP.

CAPVT VIII.

Occurritur obiectionibus.

108 PRima, & præcipua difficultas in hac materia est, quæ desumitur ex verbis Christi. Cùm enim illa mulier de turba (secundùm quosdam Marcella Marthæ famula) dixisset *Luc.* 11. Lucæ 11. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Respondit Christus Dominus: *Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Et aliàs monitus de matris, & fratrum aduentu, *Matth.* 12. *Matth.* 12. respondit: *Quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei? : : : Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, & soror, & Mater est.* Ergo præfert Christus obseruantiam mandatorum, & gratiam dignitati Matris suæ, & *S. August.* fratrum. Ita enim intelligit hos textus S. Augustinus *tract.* 10. *in Ioannem*, ita disserens: *Hoc est dicere, & Mater mea, quam vos appellatis felicem, inde felix, quia verbum Dei custodiuit. Non quia in illa Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; sed quia custodiuit ipsum Verbum Dei, per quod facta est.* Quibus similia habet *epist.* 38. & *lib. de sancta Virginit. cap.* 3. & 5. & *S. Iustinus.* *S. Cyprian.* S. Iustinus *quæst.* 136. *ad Orthodoxos*, & S. Cyprianus *serm. de Passione Domini.*

109. Respondetur primò, dupliciter posse considerari Maternitatem Dei. Primò cum omnibus

nibus donis gratiæ sibi debitis, vel vt formaliùs loquamur, provt dicit exigentiam donorum gratiæ, quæ sibi debentur. Secundò materialiter, & præscindendo in illa hanc supernaturalium exigentiam. Primo modo amplior dignitas est hæc Maternitas quavis alia gratia puræ creaturæ; non verò secundo modo, cùm ita non intelligatur in illa aliquid supernaturale, scilicet ab ipsa petitum. Et hoc secundo modo loquitur Christus. Quod apertè colligitur ex D. Hieronymo in ea verba *Matthæi* 12. loquens enim de eo, qui dixit Christo Domino: *Ecce Mater tua, & fratres tui stant foris, quærentes te,* ait: *Videtur mihi iste, qui nunciat, non fortuitò, & simpliciter nunciare, sed insidias tendere Saluatori, vtrum spirituali operi carnem, & sanguinem præferat.* Respondet ergo illi Christus Dominus, carnem, & sanguinem spirituali operi non esse præferendum; Maternitatemque materialiter sumptam, vt præscisè affert opera carnis, & sanguinis, qualem ipsi Hebræi apprehendebant, non tanti fieri debere, quanti obseruantia diuinæ legis facienda est. *S. Hieron. Matth. 12.*

110. Quo eodem modo intelligendus est S. Augustinus, vt exposuit Pelbartus *lib. 1. Stellar. part. 7. art. 2. cap. 1.* ex Alberto Magno, his verbis: *Augustinus lib. de Virginit. dicit, quòd beatior fuit B. Virgo concipiendo Christum mente, quàm corpore. : : : Istud autem quomodò sit intelligendum, respondetur secundum Doctores, quòd non aliter, nisi considerentur, in quantum vnum non excludit aliud, aliàs secus; quia* *Pelbartus. Albertus.*

con

concipere Christum carne, & esse Dei Matrem, non potest esse sine sanctitate mentis.

111. Respondetur secundò ex P. Suarez citato, loqui Christum Dominum de cognatione Matris cum ipso vt homo est, non verò cum ipso vt Deus est. Et quidem Iudæi, qui Christum solùm vt hominem respiciebant, nil aliud poterant attendere, quam eam carnalem, & materialem cognationem. Christus ergo, qui de Maternitate loquebatur eo modo, quo ipsi Iudæi eam communiter cogitabant, solùm referebat eam in illis verbis ad humanitatem, non ad Diuinitatem suam, vnde Maternitas specialiter dignificatur. Maternitatem itaque non dignificatam à Diuinitate Filij, inferiorem intelligi sanctificante gratia, quis valeat dubitare?

112. Secunda difficultas est. Si Christus Dominus vt homo habuisset Patrem, maior dignitas esset esse Patrem Christi, quàm esse eius Matrem: ergo Maternitas Dei non est summa dignitas possibilis in pura creatura, cùm sit possibilis alia maior. Probatur antecedens. Esse Patrem, quid perfectius est, quam esse Matrem: ergo esse Patrem Christi est dignitas perfectior quàm esse eius Matrem.

113. *Aliqui tribuunt B. Virgini cõcursũ actiuum, & passiuum.* Huic argumento putabit aliquis satisfieri, si dicatur, in Conceptione Christi habuisse B. Virginem concursum actiuum, & passiuum, seclusis imperfectionibus, quæ dedecent puritatem eius Virgineæ Conceptionis; vltra eum concursum imperfectum, quem probabilis opinio cæteris Matribus concedit. Vnde fieret,

fieret, eminentiori modo contineri dignitatem Patris in hac dignitate Maternitatis Dei: & ita hunc concursum actiuum, & passiuum tenet Sanctius Porta *in Mariali, serm.* 11. *de Incarnat.part.* 2. §. *Nota,* vbi ait: *In Conceptione aliarum mulierum requiritur principium passiuum; & quantum ad hoc concipiunt in vtero; & principium actiuum; qui est homo masculus, & quantum ad hoc extra vterum. B. Virgo quoad vtrumque principium concepit in vtero, & intra vterum.* Et paulò post: *In conceptione aliarum mulierum proles recipit corpulentam substantiam in vtero, & ab extra vterum; quia à Patre, & Matre. In conceptione Virginis totam corpulentam substantiam recepit Christus in vtero Virginis, & nihil ab extra.* Quod ibi latè prosequitur. Et *serm.* 21. *de Assumpt.part.* 1. §. *Dico* 2: & aliis in locis. Porta.

Et videtur sententia S. Bonauenturæ *in* 3. *dist.* 4. *quæst.* 1. vbi sic asserit: *B. Virgo habuit virtutem sibi diuinitus datam, per quam administraret materiam illi conceptui: materiam, inquam; quæ non solùm habuit rationem materiæ, siue potentiæ passiuæ; sed etiam sufficientiam & virtutem ad prolis productionem.* Vbi, *sufficientia & virtus ad productionem*, denotant virtutem per se sufficientem ad producendum. Quæ cùm dicatur fuisse diuinitus data, constat maiorem esse, quàm eam, quæ datur naturaliter in cæteris Matribus. Et Scoti *in* 3. *dist.* 4. *quæst.* 1. §. *Prætereà,* vbi ait: *Istud* (scilicet, quòd Mater non concurrat actiuè) *de hac Matre improbatur per illud Damasce-* 114? S. Bonau. Scotus. S. Damasc.

ni 48. *Virtutem tribuens susceptiuam, simul autem & generatiuam. Sed si ipsa tantùm esset principium passiuum, non videretur, quare copularet virtuti susceptiua virtutem generatiuam.* Vbi affirmat, quòd quamvis in reliquis matribus negetur, in B. Virgine negari non potest virtus actiua, propter illud Damasceni dictum. Item Gabrielis *in 3. dist. 4. quæst. vn.* vbi sic habet: *Ipsa etiam quoad virtutem actiuam cooperata est productioni prolis plus cæteris matribus, quia in cæteris est tantùm virtus naturalis, in Virgine autem fuit virtus actiua naturalis & supernaturalis.* Et ideo Ambrosius Spiera *serm. 11. considerat. 2. conclus. 1.* ita ait: *Diuus autem Bonauentura, Scotus, & omnes illum sequentes dicunt quòd non solùm materiam ministrauit, sed virtutem quandam etiam actiuam à Spiritu Sancto suscepit, vt etiam actiuè concurreret: vnde dicit ipse, Potentia generatiua in Virgine à Spiritu Sancto excitata fuit, & eleuata supra posse suum.* Ego verò huic sententiæ, & responsioni non assentio, præcipuè cùm ea ad solutionem huius argumenti necessaria non sit.

Gabriel.

Spiera.

115. Respondeo ergo primò cum Alberto Magno, & S. Antonino, impossibile esse, quod Deus incarnaretur generatione Patris, propter summam indecentiam omnino repugnantem magnitudini huius mysterij. Ita enim S. Antoninus 4. *part. tit.* 15. *c.* 20. §. 9. proponit obiectionem: *Item cùm maius, & dignius sit esse Patrem, quàm Matrem, si aliqua pura creatura esset Pater Dei secundùm humanitatem, videretur*

Impossibile est, Deum incarnari per generationem paternam.

S. Anton.

retur tunc plus esse, secundùm hominem, Patrem esse Dei, quàm Matrem Dei: ergo esse Matrem Dei non est maximum priuilegium, quod possit communicari puræ creaturæ. Cui immediatè sic satisfacit: *Ad hoc respondet Albertus, quòd hoc esse non potest, & multa indecentia sequerentur. Dicit enim Philosophus, quod masculus est, qui generat in alio: Ergo ille, qui esset Pater Dei, aut generaret in alio, aut in seipso. Si in alio: ergo duo essent, vnus generans in alio, & vnus, vel vna generans ab alio: ergo ibi esset masculus, & fœmina. Si autem Pater generaret in seipso, ergo nec esset masculus, nec esset Pater. Item non esset ratio tunc, quare magis diceretur Pater, quàm Mater. Item cùm non sit in viro locus conceptionis, formationis, & nutritionis, etsi fieret subita formatio, non esset generatio. Item cùm non sit ibi organum partûs, indifferens esset ratio virginitatis, & sic non esset filius virginis, nec esset Pater, nec Mater. Item sic esset exclusus sexus fœmineus ab Incarnatione, cum incarnatum non esset fœmina, nec de fœmina incarnatum. Et sic patet, quòd maior gratia puræ creaturæ concedi non potest, quàm esse Matrem Dei naturalem.* Quæ omnia habet Albertus eodem tenore *lib. de laudib. Virg. cap.* 18c. Itaque huius rei impossibilitas reducitur ad hoc, quod si Pater in seipso concipieret, non esset Pater: si in alio, afferretur detrimentum virginitati; quod prorsus dedecet puritatem mysterij. *Albertus.*

Sed respondetur etiam secundò, si per possibile, vel impossibile daretur Pater in mysterio 116. *Generatio*

materna Christi perfectior est generatione paterna, si daretur.

Incarnationis, adhuc non esse ampliorem dignitatem Patris, quàm Matris Dei. Nam excessum in virtute actiua, quem affert Pater, compensat, imò superat Mater excellentiâ virginitatis. Quæ virginitas, etsi physicè minor sit virtute actiua Patris, in æstimatione tamen morali, & in re tantæ sanctitatis illæstimabilior est qualibet alia actiuitate.

DISPV

DISPVTATIO POSTERIOR.

An B. Virgo prædita fuerit gratia ſimpliciter infinita?

CAP. I.

Statuitur poßibilitas gratiæ ſimpliciter infinitæ.

PRÆMITTO tanquam veram ſententiam, quæ aſſerit, poſſibilem eſſe de potentia abſoluta gratiam infinitè intenſam in aliquo ſubiecto. Quæ ſententia magnas habet vires authoritatis, maximas rationis; & hodie ſine dubio communior eſt: & fuiſſe olim communiorem, præcipuè in Academia Pariſienſi, & Salmanticenſi, ex dicendis conſtabit. 1.

Tuetur illam expreſsè, & ex profeſſo Gregorius Ariminenſis *in* 1. *diſt*. 44. *quæſt*. 4. *art*. 1. *concluſ*. 3. Ioannes Maior latiſſimè *in* 3. *diſt*. 13. *quæſt*. 3. aſſerens, fuiſſe infinitam in anima Chriſti Domini. Almainus *in* 3. *diſt*. 13. *q*. 1. §. *Iſtis ſuppoſitis*. Nam quamvis aſſerat, in Chriſto non eſſe gratiam habitualem infinitam, *ſuppoſito, quod non ſit poſſibile infinitum*; 2. *Arimin.* *Maior.* *Almain.*

ſtatim tamen addit: *Sed de facto quid tenendum? Dico, quòd vtrumque poteſt defenſari; quia omnes antiqui, & recentes dicunt, quod ſit infinita.* Quod teſtimonium magni ducendum eſt, quòd ex eo conſtet, eſſe ſententiam communem omnium antiquorum, & recentium, præcipuè ex Academia Pariſienſi, in qua ille docebat.

S. *Bonau.* Quarto loco affero S. Bonauenturam, qui citari ſolet pro oppoſita ſententia. Sed quàm immeritò, ex ipſis eius verbis conſtat. Nam *in 1, diſt. 17. part. 2. quæſt.* 4. inquirens, an charitas habeat terminum augmenti, ſiue intenſionis, ita vt deueniatur ad aliquem gradum charitatis, vltra quem non poſſit vlterius augeri? Reſpondet, dari quidem terminum. Sed cùm ſibi obiecerit, quòd virtus productiua charitatis eſt virtus diuina, atque adeò infinita: ergo etiam poſſibilis eſt fieri ab hac virtute charitatis infinita: reſpondet. *Ad illud, quòd obiicitur primò de infinitate virtutis agentis, dicendum, quòd illa ratio teneret, ſi virtus charitatem augmentans ageret naturaliter, & ſecundum impetum, ſiue ſecundùm totum ſuum poſſe. Nunc autem agit ſapienter, & ita ponit vnicuique limitem, ipſa in ſe non limitata.* Ex quibus verbis duo manifeſtè inferuntur. Primum, id quod prius dixit de termino charitatis, intelligi, quòd illa habeat terminum ex diſpoſitione diuinæ ſapientiæ, quæ *ponit vnicuique limitem.* Secundum, poſſe produci à Deo charitatem habitualem infinitam ſimpliciter, quam reipſa Deus efficeret, ſi operaretur *ſecundum*

dum totum suum posse, siue secundum potentiam absolutam. Vnde de mente S. Bonauenturæ pro hac sententia, nescio quomodo dubitari possit.

Quod si *in 3. dist.* 13. *art.* 1. *quæst.* 2. negat in Christo Domino gratiam infinitam, manifestè loquitur de infinitate per essentiam, siue in perfectione, non de infinitate gradualis intensionis, vt clarè colligitur ex verbis, quibus suam conclusionem explicat. *Si ergo loquamur de gratia Christo collata, secundùm quòd est singularis persona in se; sic cùm dicat donum creatum, necessariò finitum est, & mensuratum. Finitas enim, & mensuratio circa creaturam potiùs dicunt complementum, quàm imperfectionem.* Vbi ex ratione, quam effert, videtur negare infinitudinem in quavis gratia creata etiam possibili. Ex his tamen verbis constat, loqui S. Doctorem de prædicato Finiti, quod transcendit omne ens creatum, scilicet esse finitum in perfectione; quod infinito intensionis apertè conuenit. Præcipuè cùm mens Authoris dubia colligenda sit ex eo loco, vbi clariùs loquutus est. 4.

Scotum citat pro hac sententia P. Petrus Hurtado posteà allegandus. Et meritò: nam *in 3. dist.* 13. in responsione ad primam, & secundam quæst. sæpiùs repetit, posse Deum constituere in subiecto supremam gratiam possibilem: & item posse Deum simul producere *vna creatione* omnem gratiam, quæ in eius omnipotentia continetur: & licèt hanc supremam gratiam aliquoties vocet finitam, 5. *Scotus.*

intelligendus est loqui de prædicato transcendenti, quod omnibus entibus creatis, etiam in aliquo genere infinitis, commune est.

6. Citandi itaque sunt pro hac sententia omnes illi, qui dicunt posse Deum constituere in subiecto omnem gratiam possibilem: nam vt constabit ex capite sequenti, inde per legitimam consequantiam infinitudo colligitur. Sicut & illi etiam, qui illam de facto in Christo
Magister. Domino concedunt. Ita Magister sententiarum *in 3.dist.* 13. ait: *Ipsum hominem tantam à conceptione accepisse sapientiæ, & gratiæ plenitudinem, vt Deus ei pleniùs conferre non potuerit.* Et Durandus *in 3.dist.* 13.*quæst.* 1.*art.* 2. in-
Durand. quit: *Habuit gratiam ita perfectam intensiuè, quòd non potuit perfectior esse in specie gratiæ.* Quando autem vocat finitam, solum significat, esse finitè perfectam: tum quia expressis terminis dixit, esse non posse infinitæ perfectionis: tum propter illationem, qua inde colligit, visionem illi gratiæ correspondentem, fere æqualem visioni increatæ.

7. Capreol. Potest etiam pro hac sententia advocari Capreolus *in 1. dist.* 43.*art.* 2.*conclus.* 2. & in solutionibus obiectionum contra 2. conclus. quatenus docet, possibilem esse gratiam infinitè intensam, quamvis addat, eam non posse existere in subiecto. In quo addito loquitur, vt opinor, de subiecto connaturali, & de potentia ordinaria.

8. S.Thom. Et, quod caput est, fauet huic sententiæ S. Thomas *in 3. dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. tum quatenus docet, in Christo Domino

mino esse maximam gratiam possibilem. Tum etiam, quia cum in corpore distinguat in Christo triplicem gratiam, vnionis, singularis hominis, & capitis; gratiam autem singularis hominis vocet gratiam creatam ab vnione distinctam, vt ex contextu patet; asserit, eam esse absolutè infinitam, iis verbis: *Et hoc modo dicitur gratia Christi infinita.*

Et *3. part. quæst. 7. art. 11.* inquirens: *Vtrum gratia Christi sit infinita?* in corpore articuli ait: *Alia verò est gratia habitualis, quæ quidem potest dupliciter considerari: vno modo secundùm quòd est quoddam ens; & sic necesse est, quòd sit ens finitum.* Idest, finitæ perfectionis, vt exponit ibi Caietanus, & patet ex contextu. Deinde addit alteram conclusionem: *Alio modo potest considerari secundùm propriam rationem gratiæ. Et sic gratia Christi potest dici infinita, eo quòd non limitatur; quia scilicet habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiæ, & non datur ei secundum aliquam certam mensuram id, quod ad rationem gratiæ pertinet.* Item *ad 2.* ait: *Dicendum, quod gratia Christi habet infinitum effectum, tum propter infinitatem prædictam gratiæ, tum propter vnitatem diuinæ personæ, cui anima Christi vnita est.* Nescio, quomodo clariùs potuit asserere Doctor Angelicus? Quare P. Albertinus *tom. 2. disp. 4. de prædicam. quant. quæst. 6. num. 12.* cùm retulisset sententiam Maioris de gratia Christi infinitè intensa, ait: *Neque oppositum docet S. Thom. in 3. part. quæst. 7. art. 11. docet enim esse finitam in genere*

9. Albertin.

nere entis, quia est ens creatum, & dependens, non tamen negat esse infinitam in genere gratiæ.

10. Caiet. Et ideo Caietanus ibi, §. *In litera*, ait: *Et dicit in 2. conclus. quod gratia habitualis Christi est finita secundùm rationem entis, hoc est, ens finitum. In tertia autem, quod eadem est infinita secundùm rationem gratiæ, hoc est, gratia infinita.* Quod explicat Caietanus exemplo albedinis paulò superiùs, ad idem tamen propositum: *Vt si esset albedo infinita intensiuè secundum latitudinem albedinis, esset infinita secundum rationem albedinis; esset tamen finita secundùm quantitatem perfectionis simpliciter, quoniam esset accidens, ac per hoc imperfectius ens qualibet substantia quantumcunque finitæ perfectionis.* Ecce qualiter gratia Christi finita est, & infinita. Finita quidem, eo quòd est perfectionis finitæ, sicut quodlibet ens creatum, & infinita ratione infinitæ intensionis.

11. S.Thom. Nec te conturbet exemplum lucis, quod affert D. Thomas: *Sicut si dicamus lucem solis esse infinitam, non quidem secundum suum esse, sed secundùm rationem lucis, quia habet quidquid ad rationem lucis pertinere potest.* Non enim cadit in sapientissimum Præceptorem asserere, quòd de facto lux solis sit innita, secundùm aliquam considerationem. Sed cùm velit explicare, quomodò cohæreant hæc duo, quod Christi gratia sit finita in esse entis, & infinita in esse gratiæ; ponit conditionalem de luce, quæ reddit hunc sensum: Si suppona

ponamus, lucem solis esse infinitè intensam, sic lux non est infinita in esse entis; est tamen infinita in esse lucis: hoc est, finitè perfecta, & infinitè intensa. Quod exemplum etiam apertè fauet nostræ sententiæ.

Et ex dictis patet etiam sententia Cardinalis Caietani de gratia simpliciter infinita animæ Christi inhærente. Quod etiã magis constat attentis iis, quæ dixit articulo antecedenti, vbi cum dixisset S. Thomas: *Ex parte quidem ipsius gratiæ dicitur esse plenitudo, ex eo quod aliquis pertingit ad summum gratiæ, & quantum ad essentiam, & quantum ad virtutem: quia scilicet habet gratiam, & in maxima excellentia, qua potest haberi, & in maxima extensione ad omnes gratiæ effectus; & talis gratiæ plenitudo est propria Christo.* Addit hunc commentarium Cardinalis: *Nota secundò diligentissimè, quòd Author de quantitate intensiua gratiæ secundùm se loquens in hoc articulo, dicit, quòd inuenitur de facto in summo data animæ Christi, vt patet in primo membro distinctionis, & prima conclusione. Et declarat tale summum esse quantum ad essentiam distinguendo contra virtutem; & quantũ ad excellentiam, distinguendo contra extensionem, quæ ad virtutem spectat, dicendo, quod est in maxima excellentia, quæ haberi potest.* Et post pauca: *Et hæc ideo notanda duxi, vt videant Thomistæ, secundùm Authoris doctrinam, dari summam charitatem, summam gratiam, non solùm ex parte subiecti secundùm mensuram, quam vnicuique præfixit Deus, sed ex parte ipsius charitatis, &*

12. Caiet.

& gratiæ secundùm se. Vt vel hinc reiiciantur illi,qui contendunt explicare S.Thomam de gradu, qui sit summus secundum dispensationem diuinæ sapientiæ; non verò qui secundum se sit maximus possibilis,atque adeò infinitus. Cuius oppositum patet ex verbis S. Thomæ,& ex commentario Caietani.

13 *Maldon.* Eandem sententiam sequuntur communiter Recentiores. P. Ioannes Maldonado *in cap.2. Luc. verſ.*40. (qui etiam Theologiam Scholasticam Parisiis professus est, & volumen totius Theologiæ ab ipso dictatum apud me habui) ad ea verba, *Puer autem crescebat,* sic ait: *Ergo nec diuina, nec beata, nec infusa scientia proficere potuisse,quia infinita erat; sola profecisse experientia.* Idem enim dicendum est de gratia habituali,ac de scientia,seu visione beata.

14 *Victoria.* Franciscus de Victoria *relectione de augmento charitatis, §. Restat modò* (apud Bañez *2. 2. quæst. 24. art. 6.*) constituit illam in Christo Domino, ita asserens: *In quo secundum communiorem opinionem fuit infinita gratia.* Quòd si Almainus Doctor Parisiensis suprà citatus dixerat, hanc sententiam de gratia Christi infinita communem esse apud Parisienses; idem apud suos statuit hic Doctor Salmantinus, vt magnum authoritatis pondus huic sententiæ accrescat ex consensu vtriusque Academiæ.

15 *Fasolus.* Idem tenent circa possibilitatem gratiæ simpliciter infinitæ P.Hieronymus Fasolus *1. part.quæst.7.art.4.dubit.12.num.*58.*&* 59. P.

Ludouicus

Ludouicus Meratius, vt probabilem, *tom. 3. tract. de Incarn. disp. 23. sect. 4.* illam admittentes in Christo Domino. P. Petrus Hurtado *disput. 48. de Incarnat. §. 15.* eam de facto admittens in Christo Domino, eamque statuit de possibili *disp. 13. Physic. sect. 2.* P. Albertinus *tom. 2. de prædicamento Quantitatis, disput. 4. quæst. 6. num. 10.* Lorca *3. part. disp. 42.* P. Rodericus de Arriaga *disp. 13. Physic. sect. 4. & 1. 2. tract. de iustificatione, disp. 51. sect. 4. conclus. 2.* & *3. part. disp. 32. sect. 3. & 4.* P. Ripalda *tom. 2. de Ente supernaturali, lib. 6. disp. 114. sect. 6.* P. Augustinus Bernal. *tom. de Incarnat. disp. 30. sect. 3. §. 27.* P. Ouiedo *controuers. 14. Physic. punct. 5.* Fauet P. Martinus Becanus *tract. de Incarnat. cap. 8. quæst. 3.* dicens, id esse probabile. Et P. Petrus Vvadingus *tom. de Incarn. disp. 5. dub. 8.* quatenus ait: *Dico nihil me videre, quòd conuincat gratiam infinitam esse impossibilem.* Quod ibi latè probat.

Meratius. Hurtado. Albertin. Lorca. Arriaga. Ripalda. Bernal. Ouiedo. Becanus. Vvading.

Ante primam probationem præmitto ex communi Philosophia, & Theologia, infini- 16
tum syncategorematicum esse illud, in quo posita sunt finita, restant tamen ponenda infinita simpliciter. Etenim si, cùm augetur charitas vsque ad quinquaginta gradus, restarent tantùm finiti ponendi, istis finitis positis, non posset vlteriùs charitas augeri, atque adeo non esset augmentabilis in infinitum syncategorematicè: vt ergo in infinitum syncategorematicè augeri possit, requiritur, quòd post finitos gradus positos, restent infiniti simpliciter ponendi.

Ad infinitum syncategorematicum requiritur, quod restent infinita simpliciter.

Proba

17. Probatur ergo primò ratione. Infinita syncategorematicè intensio est illa, in qua positis finitis gradibus, restant tamen infiniti simpliciter ponendi: sed gratia sanctificans potest augeri in infinitum; & hoc modo est infinita syncategorematicè, vt tenet communis Theologorum consensus cum S.Thoma 2.2.q.24. art.7.& aliis citandis §.28. ergo qualibet intensione gratiæ posita, restant infiniti simpliciter gradus ponendi. Ex quo vlteriùs colligo: ergo in statu possibilitatis continentur gradus gratiæ simpliciter infiniti. Quæ consequentia rectè deducitur; est enim synonyma cum consequentia præcedente. Tum sic: Isti infiniti gradus contenti in statu possibilitatis nullam repugnantiam, nullamve oppositionem afferunt inter se; quinimò summam proportionem, vt suo ordine vniantur: ergo re ipsa omnes isti gradus simpliciter infiniti poterunt simul existere in rerum natura.

S.Thom.

18. Probatur secundò ratione, quæ in hac materia vulgaris est, efficax tamen, quâ vsus fuit S.Thomas 2.2. quæst.24.art.7.corp. ad probandum, charitatem non habere terminum sui augmenti, sed posse in infinitum intendi: ea enim ratio probat etiam, eius augmentum esse posse infinitum simpliciter. Etenim illud augmentum simpliciter infinitum non repugnat gratiæ, aut charitati ex parte sui, neque ex parte causæ efficientis, neque ex parte subiecti; nullum enim caput ex his potest illam limitare: possibile ergo est eius augmentum simpliciter infinitum. Antecedens sic probat

S.Thom.

S. Thomas

S. Thomas. *Ipsa charitas secundum rationem propriæ speciei terminum augmenti non habet, est enim participatio quædam infinitæ charitatis, quæ est Spiritus Sanctus. Similiter etiam causa agens charitatem est infinitæ virtutis, scilicet Deus. Similiter etiam ex parte subiecti terminus huic augmento præfigi non potest; quia semper charitate excrescente, superexcrescit habilitas ad vlterius augmentum.* Cui probationi nihil addendum superest.

Confirmatur primò. Potest Deus relinquere hominem aliquem in statu viatoris per totam æternitatem, qui per singulas horas singulos actus charitatis eliceret; & cui pro singulis actibus charitatis singulos gradus gratiæ superadderet. In quo casu infinitis horis æternitatis infiniti gradus gratiæ correspponderent, & infinita intensio ex illis resultans: ergo possibilis est infinita intensio gratiæ sanctificantis. 19.

Confirmatur secundò. Omnes enim rationes implicationis afferri solitæ pro impossibilitate huius infinitæ intensionis, si attentè inspiciantur, parum, aut nihil habent difficultatis, & à quovis facillimè dissoluentur. In quo illud animaduersione dignum est, inter Authores, qui negant hanc gratiæ, siue intensionis infinitudinem, vix duo esse, qui conueniant in afferenda eadem ratione implicationis; quinimò alij aliorum rationes eneruare contendunt. Quod diffidium satis indicat, leuia esse fundamenta sententiæ negantis, in quibus eius Authores non conueniunt. 20

Ideóque

Ideóque otiosum duxi eas huc implicationes ad soluendum adducere.

21\. Confirmatur tertiò. Si qua enim est difficultas, aut implicationis radix in hac materia de infinito, illa quidem oritur ex diuersis positionibus, & combinationibus, quæ in rebus corporeis concipi solent; eæ autem non habent locum in infinitæ gratiæ intensione; nam ex impossibilitate infinitæ extensionis non debet argui impossibilitas infinitæ intensionis. Præterquam quòd omnes difficultates, quæ militant contra hanc infinitam intensionem, militant etiam contra ipsos gradus, qui in statu possibilitatis sunt simpliciter infiniti, vt benè obseruauit P. Petrus Hurtado suprà citatus: quare potiùs sophisticæ, quàm efficaces ex hoc solo capite reputandæ sunt.

Hurtado.

22 Tandem aduertendum est, hanc infinitatem intensionis non coarctari ad sententiam, quæ constituit intensionem in additione gradus ad gradum; sed posse defendi etiam, & explicari in aliis sententiis, siue quæ ponit intensionem in qualitate perfectiori, siue quæ illam in maiori radicatione constituit. Etenim in sententia constituente intensionem in qualitate perfectiori, sicut sanctitas vt octo fit per qualitatem indiuisibilem æquiualentem octo gradibus distinctis; ita infinitè sanctum constituetur per qualitatem indiuisibilem æquiualentem infinitis gradibus distinctis. Quæ qualitas non propterea erit infinitè perfecta, vt constat ex dictis *disp. præcedenti, §. 69.* Quod similiter explicari valet in maiori radicatione:

Hæc infinitudo gratiæ potest explicari in quauis sententia de constitutiuo intensionis.

cùm

cùm hæc ſita ſit, vel in vnione perfectiori, vt alij volunt; vel in perfectiori actione, vt alij. Poterit enim vnio; vel actio eſſe ita perfecta, vt æquiualeat gradibus infinitis, ſi darentur, aut poſſibiles eſſent.

CAPVT II.

Aliud notabile præmittitur.

TEſtimonia Doctorum pro infinita ſanctitate habituali B. Virginis in duas claſſes referenda ſunt. Ad primam reuoco eos, qui dicunt, B. Virginem habuiſſe omnem ſanctitatem poſſibilem in pura creatura. Nam S. Thomas, & cum eo communiter Scholaſtici hanc reputant legitimam conſequentiam: Si augmentum rei alicuius finitum eſt, poſſibile vtique eſt aliud maius; ſi autem tale hoc eſt, vt aliud maius non ſit poſſibile, iſtud cenſendum eſt infinitum in ſuo genere. Itaque ſicut ex eo quòd intenſio ſit finita, rectè colligitur, poſſibilem eſſe maiorem aliam: ita deducto argumento ab oppoſito contradictorio conſequentis, ex eo quòd non ſit poſſibilis maior intenſio, rectè colligitur, eam eſſe infinitam ſimpliciter. 23.

Ex eo quod intenſio ſit tota poſſibilis, rectè colligitur, eam eſſe infinitam.

24. Quod patet etiam à paritate numeri. Si enim numerus creaturarum productus à Deo finitus eſt, manifeſtum eſt, poſſe creaturas alias vlteriùs à Deo produci. Quòd ſi numerus

creaturarum talis sit,vt augeri, aut maior fieri non possit,euidenter colligitur,infinitas creaturas in eo numero contineri. Id quod apertè dixit S. Thomas *in 3. dist.13. quæst.1. art.2. quæstiunc.2. in 2. argum.* vbi ait: *Omni finito potest aliquid maius intelligi, & Deus aliquid maius facere.* Quod principium supponit, & admittit in responsione.

S.Thom.

25. Et quidem S. Thomas ferè semper vtitur hoc argumento,cùm aliquid in aliquo genere infinitum esse, probare intendit. Ex eo enim, quod continet omne possibile in eo genere, per legitimam consequentiam deducit, illud esse infinitum. Sic enim 3. *part. quæst.7. art.11. in corp.* asserens gratiam habitualem Christi esse infinitam in esse gratiæ, id colligit ex eo, quòd habeat omne possibile in esse gratiæ, illis verbis: *Et sic gratia Christi potest dici infinita ex eo,quòd non limitatur,quia scilicet habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiæ.* Et *dist.13.citata,quæst.1.art.2. quæstiunc.2.in corp.* vtitur eadem discurrendi forma: *Hoc modo dicitur gratia Christi infinita, quia quidquid ad gratiæ perfectionem pertinere potest, totum in Christo fuit.* Et 1. *part.quæst.25.art.6.ad* 4. asserens humanitatem Christi ex vnione ad Verbum, & B.Virginem ex Maternitate Dei esse infinitas ex bono infinito, quòd est Deus, id statim probat ex eo, quòd *non potest aliquid fieri melius eis,* vt latè perpendimus *disp.1.cap.2.* Et in terminis gratiam habitualem B. Virginis esse infinitam, colligunt ex eo, quòd sit summa

ma possibilis infrà Deum, P. Ioannes Osso- *Ossorio.*
rio infrà citandus, §. 129. & Ormachea *Ormach.*
§. 122.

Enim verò hanc consequentiam in gratia, 26.
& charitate specialiter valere, sic probatur. *Ea consequẽtia specialiter valet in gratia, & charitate.*
Nam tota gratia possibilis non potest esse finita: ergo si est tota possibilis, rectè infertur, illam esse infinitam. Probatur antecedens. Si enim tota gratia possibilis finita esset, gratia haberet terminum suæ intensionis determinatum, & fixum; sisteret enim in eo gradu ea gratia finita, quæ dicitur esse tota possibilis: atqui gratiæ ex specie sua repugnat habere terminum determinatum suæ intensionis: ergo tota gratia possibilis non potest esse finita. Minorem probat S. Thomas verbis citatis *cap.* 1. §. 18. illis præcipuè: *Est enim* (charitas) *participatio quædam infinitæ charitatis, quæ est Spiritus Sanctus.* Vide ibi totum contextum.

27.
Scio, quosdam Recentiores admittere, omnem intensionem possibilem finitam esse, & pertingere ad aliquem determinatum gradum, vltra quem non sit alius possibilis. Sed eorum authoritas non infirmat conclusionem nostram, quæ ex communi Theologorum placito procedit. Et ex dictis in hoc capite sufficienter manent refutati. Et quidem ad suum sensum conantur trahere aliquos ex vetustioribus. Sed in hoc planè decipiuntur; nam vt iam notaui, & infrà vlteriùs adnotabo, cùm veteres aliqui dicunt, totam gratiam possibilem finitam esse, solùm excludunt infinitu-

 dinem

dinem perfectionis: ſicut S. Thomas citatus §.9.dixit, gratiam Chriſti eſſe finitam in eſſe entis, concedens eſſe infinitam in eſſe gratiæ; & vt apertè loquutus eſt S.Bonauentura citatus §.3.

28. Itaque hanc conſequentiæ vim expreſsè agnoſcunt omnes illi Theologi, qui qualitatibus ſupernaturalibus negant terminum in ſummo. Apud quos data qualibet intenſione finita, ſemper poſſibilis eſt intenſio maior; & poſita ſumma intenſione poſſibili, arguitur, talem intenſionem non eſſe finitam, ſed infinitam ſimpliciter. Hæc ſententia adeò communis eſt, vt ſuperuacaneum duxerim, Authorum nomina recenſere. Illam enim tuentur Theologi omnes, vno, vel altero dempto, qui Scoticam doctrinam non omnino calluerunt. Vide S.Thomam *3.p. quæſt.7. art.11. &* 12. & *quæſt.10. art.4.* & 2. 2. *quæſt.24. art.7.* P. Suarium *lib.2. de gratia, cap.5.* & *tom.1.in 3.part.diſp.22.ſect.2.* P.Valentia *3. part. quæſt.2. punct.3. aſſert.2.* P. Vazquez *tom.1. in 3. part. diſp.47.* & paſſim Recentiores.

S. Thom. *Suarez.* *Valentia.* *Vaſquez.*

29. Eadem conſequentia ineuitabilis eſt apud eos Doctores, qui admittunt vt poſſibilem gratiam habitualem infinitam ſimpliciter, quos citaui cap. præcedenti: apud quos euidens eſt, totam gratiam poſſibilem eſſe ſimpliciter infinitam.

30. Et ſimiliter in qualibet materia, in qua inuenire eſt infinitum ſyncategorematicum maioris, & maioris, euidens eſt, valere eandem

con

consequentiam. Cùm enim natura huius infiniti sit, quòd assignato quolibet augmento finito, sit possibile maius aliud, euidenter sequitur, quòd si non est possibile aliud maius, illud sit infinitum. Et hinc etiam constat ex eo, quòd non sit possibilis dignitas maior Maternitate Dei, quàm rectè colligatur, illam dignitatem esse infinitam. Etenim æstimabilitas, & moralis dignitas creaturæ capax est huius infiniti syncategorematici. Nam si dicas, esse iustum, esse summam dignitatem possibilem in pura creatura, adhuc in hac materia inuenies augmentum sine termino syncategorematicè. Quia, qui iustus est per quatuor gradus, æstimabilior est in ordine ad meritum, & ad alios effectus, quàm qui iustus est per vuum gradum; & qui iustus est per gradus viginti, dignior est, quàm iustus per quatuor. Quod augmentum dignitatis moralis eodem tramite procedere debet, ac augmentum gratiæ habitualis: in qua cùm detur infinitum syncategorematicum, illud idem in dignitate morali necessariò debet interuenire. Cum ergo dignitas Maternitatis in ordine supernaturali sit summa possibilis, etiam comparata cum qualibet dignitate iusti, vt constat *ex disp.1.* fit, illam esse non posse finitam, sed esse debere necessariò infinitam. *Maternitatem Dei esse infinitam, colligitur ex eo, quòd sit summa possibilis.*

31 Et ideò S. Thomas citatus *disp.1.cap.2.* colligit, Maternitatem Dei esse infinitam ex eo, quòd *non potest aliquid fieri melius eâ.* Et Ioannes Vincentius citatus *disp.1. §.44.* asserit, Maternitatem esse summam dignitatem *S. Thom. Ioan. Vincent.*

 possi

possibilem, & ideo à S.Thoma dictam esse infinitam. Quam consequentiæ vim in eadem
Guadalup. materia ferè eisdem verbis agnouit Guadalupe
Pet. Dam. citatus §. 45. Item B. Petrus Damianus *ibid.*
Albert.M. §.7. Albertus Magnus §. 11. S. Thomas de
S. Thom. Villan. Villanoua §. 15. & Pelbartus §. 20. asserunt,
Pelbart. Maternitatem esse summam dignitatem, quæ sub Deo excogitari potest; & inde colligunt, illam esse infinitam, vt ibidem adnotaui. Quod
Fernand. idem asseruit P. Benedictus Fernandez *ibid.* citatus §. 55.

32 Ad secundam classem reuoco testimonia asserentium, sanctitatem B. Virginis infinitam fuisse. Et recole *in cap.* 1. prioris disputationis, quare maiori pretio mihi sint primæ, quàm secundæ classis testimonia.

CAP. III.

S. Anselmi, Doctorumque veterum sectatorum eius authoritate stabilitur infinitudo sanctitatis B. Virginis.

33 MAgno authoritatis pondere nititur, ni fallor, hæc sententia: quæ quamvis Scholasticis terminis non fuerit exposita, existimo tamen, satis clarè à Patribus, & veteribus Doctoribus traditam. Ex quorum authoritate hæc sit prima probatio infinitæ gratiæ habitualis existentis in B. Virgine. Sanctissima Virgo habuit totam gratiam sancti-

fican

ficantem possibilem in pura creatura, sed tota gratia possibilis in pura creatura necessariò est infinita simpliciter, siue infinitè intensa: ergo B. Virgo habuit gratiam sanctificantem infinitam simpliciter, siue infinitè intensam. Consequentia est euidens. Minor constat ex proximè dictis. Maiorem probant testimonia Sanctorum Patrum & Doctorum iam referenda.

Ducat hanc primam classem Anselmus *lib. de Conceptu Virginali, cap.* 18. illis verbis notissimis: *Decebat, vt illius hominis conceptio de Matre purissima fieret. Nempe decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret.* Ecce Mariæ sanctitatem, quanta intelligibilis est in pura creatura. 34

Non me latet, aliquos interpretantes verba Anselmi, discrimen reperire inter puritatem, & sanctitatem; ita vt hæc vox, *puritas*, denotet recessum à peccato, *sanctitas* verò formam habitualis gratiæ. Et ideò Anselmum vsum fuisse voce puritatis, quia ab omni peccato immunis fuit, qua puritate non est alia maior sub Deo: non verò vsum voce sanctitatis, quia maior alia sub Deo possibilis est. 35

Sed præterquam quòd ea videtur nimia subtilitas circa earum vocum significationem, prædictam responsionem non conuenire in verba Anselmi facilè ostenditur. Nam vel loquitur de formali recessu à peccato, id est, de ipsa formali negatione peccati; vel loquitur de recessu radicali, qui sit aliquid positiuum, & reale postulans negationem pecca- 36

ti. Si de hoc secundo loquitur, habeo intentum; siquidem iste recessus radicalis est ipsa gratia habitualis, quæ cum peccato opponitur, & est positiuus recessus a culpa. Si verò loquatur de formali negatione peccati; hæc non est maior in Deo, quàm in Virgine; neque enim esse potest maior negatio peccati, quàm carere omni peccato: quia hoc, quod est carere omni peccato, non recipit magis, & minus, sed consistit in indiuisibili, vt ex Metaphysica satis apertè liquet. Cùm ergo B. Virgo careat omni peccato, talis recessus negatiuus à peccato non potest esse maior in Deo, quam in B. Virgine. Quod non consonat verbis Anselmi, qui hanc puritatem, siue recessum à peccato inferiorem esse asserit puritate diuina, vt ea vox, *sub Deo*, satis demonstrat.

Quòd si dicant, in Deo esse maiorem recessum a peccato, quia est impeccabilis; infertur, loqui Anselmum non solùm de formali recessu à peccato, sed etiam de positiua oppositione cum peccato, videlicet de sanctitate diuina, quæ cum peccato opponitur, & propter quam ex natura sua est impeccabilis. Itaque formalis negatio peccati æqualis negatiuè est, siue non maior in Deo, & in Virgine, in qua nullum omnino peccatum est. Deinde cùm B. Virgo sit impeccabilis per veram impossibilitatem peccandi antecedentem (vt docent D. Thomas *in 3. dist. 3. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3. corp. & ad 2.* D. Bonauentura, Richardus, Paludanus, Alexander, Marsilius, Ochamus, Gabriel,

S. Thom. S. Bonau. Richard. Palud. Alexand. Marsil. Ocham.

Gabriel, Almainus, quos refert P. Vazquez *tom. 3. in 3. part. disp.* 120. *cap.* 1.) fit, quòd negatio potentiæ peccandi,seu impeccabilitas negatiua, æqualis erit in Deo, & B. Virgine; æqualis, inquam, negatiuè; quia non datur maior negatio peccabilitatis, quàm carere actualiter omni peccabilitate, siue potentia peccandi. Quòd verò Deus habeat per naturam,quòd non possit peccare, iste est conceptus positiuus sanctitatis increatæ, & in hoc infinitè superat B. Virginem. Liquet ergo,loqui Anselmum de puritate positiua. Et ideò P.Suarez *tom.* 2.*in* 3.*part.disp.*3.*sect.*5.§. *Tertiò principaliter*,dixit, nomen *puritas*, importare positiuam perfectionem, & simul carentiam culpæ. *Gabriel. Almain. Vasquez. Suarez.*

38 Et ipse quidem Anselmus ab his dubiis nos expediuit *lib.de Excellent.Virg.cap.* 3.vbi asserit,ita B.Virginem Deo placuisse,vt non possit intelligi perfectior modus placendi Deo, in hæc verba: *Cum igitur in his, quæ tantopere Deo placent,sancta Virgo Maria tam excellenter illi placuerit, vt nequaquam crederet quis, illam aliqua ratione excellentiùs placere potuisse.* Ecce in positiuo conceptu placendi Deo,non potest credi, aut intelligi maior excellentia illi placendi. Et *cap.*4. asserit, non posse intelligi maiorem amorem eo,quo Deus B. Virginem prosequitur: *Et amorem, quo nullum putemus esse posse maiorem.* Quem textum integrum dabo §. 153.vbi ostendam vim consequentiæ, vt inde inferatur omnis gratia possibilis in pura creatura.

39 *Albertus.* In ſecundo loco affero Albertum Magnum, quia præterquam quod eandem ſententiam clarè docet, explicat Anſelmum eodem modo, ac nos intelleximus. Nam *lib. 2. de laudib. Virg. cap.* 179. poſtquàm retulit verba priori loco citata Anſelmi, ſtatim, nullo alio interpoſito, ſubdit: *Dicimus ergo, quòd hæc puritas eſt ab originali non dico diſtantia, ſed ſegregatio, & ad primam lucem, quantùm poſſibile eſt puræ creaturæ, Deiformis approximatio. Vnde ſecundùm rem nihil aliud eſt hæc puritas, niſi peccati originalis deletio, fomitis extinctio, gratuitarum perfectionum vltimatio.* Vbi vides primò, puritatem non ſolùm dicere receſſum à peccato, ſed etiam poſitiuam ſanctitatem, ſiue Deiformem approximationem ad primam lucem. Quod priùs explicuerat *cap.* 178. in hæc verba: *Hæc puritas non dicitur per receſſum ab impuro tantùm, ſed etiam per approximationem, & acceſſum ad ſummè purum.* Vides ſecundò, non eſſe poſſibilem in pura creatura, neque ſub Deo poſſe intelligi maiorem approximationem ad Deum, ſiue maiorem ſanctitatem. Quod repetit Albertus *cap.* 198. ad ea verba: *Gratiâ plena*, ita inquiens; *Tertiò ſua gratia tanta fuit, quòd pura creatura maioris gratiæ capax non fuit.* Quod eodem tenore verborum repetit in tractatu, quem vocant Biblia B. Virginis, *in cap. 2. Luc.* ad ea verba, *Gratiâ plena.* Eandem doctrinam repetit *cap. 60. libri de laudib. Virg.* cuius verba producam §. 136.

40 Idem docet de charitate B. Virginis *in eo-*

dem

dem libro,*cap*.78.his verbis: *Vbi maior puritas, ibi maior charitas: sed Beatissima Virgo habuit puritatem in summo, qua sub Deo maior nequit intelligi: ergo charitatem habebit in summo, cui in creaturis æqualis nequeat intelligi.* Quod paulò inferiùs affirmat de gratia sanctificante, sic asserens: *In Beatissima Virgine inter omnes creaturas maior fuit humilitas: ergo maior capacitas: ergo maximè gratiam recipere potuit. Sed quantum recipere potuit, tantum recepit: ergo gratiam in summo creatura recepit.*

Et *cap*.96.*ante medium*, enumerans gradus, quibus ascendit ad perfectissimam Dei cognitionem, ait: *Secundus est medij eleuantis improportionabilis quantitas, videlicet gratiæ plenitudo, quòd in ea tanta fuit, quòd in pura creatura æqualis esse non potuit.* Et paulò ante finem idem repetit de charitate, quam accepit in conceptione filij. Eadem inculcat iterum *cap*.178. verbis infrà citandis §.157.

Item in hoc toto tractatu de Laudibus Virginis per capita ferè centum, vix est pagina, in qua non repetat magnus Albertus, habuisse B. Virginem in summo gratiam, charitatem, puritatem, virtutes, dona Spiritus Sancti, & similia, quæ singulatim enumerat. Sed ne aliquis eius mentem perperàm interpretaretur, dicens, eam vocem, *in summo*, denotare terminum à diuina prouidentia constitutum, aut simili alia interpretatione; ipse tum aliàs, tum præcipuè *cap*.178. explicuit, quid sit gratia, vel charitas in summo, scilicet 41

per

per verba S. Anselmi: *Quâ maior sub Deo nequit intelligi.* Hanc enim sæpiùs asserit,esse puritatem in summo. Nam cùm quæreret, *Vtrum Beatissima Virgo niteret secundùm statum illum ea puritate,scilicet,quâ sub Deo maior nequit intelligi?* Respondet per hunc terminum *in summo.* Et inter alia huiusmodi, quæ sæpius inculcat,ait: *Charitas est de corde puro: ergo vbi charitas in summo, ibi puritas in summo: sed in B.Virgine,vt ostensum est suprà, fuit charitas in summo: ergo puritas in summo.* Deinde paulò post explicat, se loqui de summo possibili,cuius est capax pura creatura, illis verbis: *Dominus B. Virgini summum donauit, cuius capax fuit pura creatura, scilicet Dei Maternitatem: ergo & summam puritatem.* Consequens enim in eodem sensu loquitur,atque antecedens.

42 Iam verò in hoc capite referam Doctores, qui Anselmum sequuntur in concedenda virgini ea puritate, quâ maior sub Deo nequeat intelligi; & Albertum in tradenda explicatione,quam exhibuimus,puritatis positiuæ. Vtriusque doctrinam amplexus est S.Antoninus 4.*p.tit.*15.*cap.*20.§.7.ibi: *Quartum priuilegium est puritas in ea in summo. Ad quod facit,quod ait ei Angelus,scilicet,Inuenisti gratiam apud Deum,gratiam puritatis apud Deum, idest summam post Deum. Dicit enim Anselmus, quòd ea puritate decuit,vt niteret, quâ maior sub Deo nequeat inueniri. Nam si maior in filio suo, hic est Deus.* Quid autem intelligat nomine puritatis, statim explicat:

S.Anton.

Nô

Notandum tamen, quòd puritas, secundùm Albertum, non tantùm dicitur per recessum ab impuro, sed etiam per approximationem, & accessum ad summè purum. Vtrumque breuioribus terminis dixit *cap.* 34. §. 2. sic: *Erit anima tua vas purissimum contentiuum liquoris gratiæ diuinæ. Hanc summè habuit B. Maria, quia ea puritate enituit, quâ maior sub Deo nequeat inueniri.*

Et quòd B. Virgo habuerit omnem gratiam possibilem in pura creatura, sæpiùs exprimit. Et *tit.* 15. *cap.* 16. *initio*, explicans ea verba Angeli, *Gratiâ plena*, ait: *Hæc plenitudo gratiæ potest intelligi tripliciter: vel quia summam, & omnem gratiam habuit: vel quia maior gratia non fuit: vel quia maioris gratiæ capax non fuit. Constat autem, secundùm Albertum vbi suprà, quia non summam, & omnem habuit, quia gratiam vnionis non habuit, quæ est summa in numero gratiarum: non ipsa, sed filius eius fuit Deitati vnitus. Similiter maior gratia fuit in filio in quantum homo, quàm in ea; vnde dici non potest, quòd maior gratia, quàm sua non fuit. Restat ergo, vt intelligatur tertio modo, scilicet quia maioris gratiæ capax non fuit pura creatura.* Et *cap.* 14. *initio* ait: *Nulla autem pura creatura est plena gratiâ susceptiuè, præterquam B. Virgo, quæ tantam suscepit, quòd pura creatura magis suscipere non potuit.* Eadem repetit *cap.* 20. §. 15.

Anselmum, & Albertum sequitur etiam Bartholomæus de Pisis *lib.* 2. *de Laudib. Virg. fruct.* 6. *pag.* 220. vbi agens de plenitudine *san-* 43 *Bart. Pi-*

gratiæ

Alensis. S. Bonau. gratiæ B. Virginis, citans Alexandrum Alensem, & S. Bonauenturam, distinguit varios modos plenitudinis gratiæ. Primum plenitudinis, quæ sufficit ad vitam æternam obtinendam, qualis erat plenitudo Stephani, & aliorum. Secundum per numerositatem, qua ratione Ecclesia plena est omnibus gratiis.

44 Tertium autem modum plenitudinis gratiæ sic explicat: *Tertia plenitudo gratiæ est prærogatio super omnem puram creaturam. Et ista est in B. Virgine: Aue gratiâ plena. Ex hoc enim, quòd est Mater Dei, est ei quædam excellentia, & prærogatiua gratiæ, cui non potest pura creatura comparari. Addit ad hoc Anselmi authoritatem de conceptu virginali, quòd B. Virgo nituit maiori puritate, quâ maior sub Deo nequit intelligi.* In eo verbo *Addit*, videtur loqui de Alexandro Alensi, quem citat, & cuius est ea doctrina, quam ibi affert. Vbi vides, nomine puritatis intelligi *excellentiam, & prærogatiuam gratiæ, & plenitudinem gratiæ*; & hanc esse talem, vt maior sub Deo nequeat intelligi.

Et *lib. 3. fruct. 4. pag.* 404. afferens verba S. Bonauenturæ infra alleganda, ait, quantùm ad gratiam iustificationis, tantam accepisse, quantam pura creatura capere potest. Et *libro 6. fruct. 3. pag.* 736. ait: *Beata Maria suam capacitatem plenam habuit gratiâ; quia gradum quoad gratiam possibilem creaturæ*, subintellige, habuit.

45 Vtriusque doctrinam profitetur etiam Pelbartus in Stellario, siue Corona duodecim

priui

priuilegiorum B. Virginis, *lib.* 1. *part.* 5. *art.* 2. *cap.* 3. vbi ita differit: *Per hoc, quòd dicitur gratiâ plena, intelligitur praeminentia sanctitatis, quæ in hoc attenditur, quòd ipsa super omnes Angelos, & Sanctos infra Deum est sanctissima, & purissima eâ puritate, quâ sub Deo maior nequit intelligi.* Ecce pro eodem vsurpat gratiæ plenitudinem, sanctitatem, & puritatem, eamque esse, quâ sub Deo maior nequeat intelligi. Et *lib.* 8. *part.* 3. *art.* 1. *cap.* 2. *per totum*, explicat hanc puritatem, de qua loquitur Anselmus, non solùm esse recessum ab impuro, sed etiam accessum ad summè purum; citans Albertum super *Missus est*, *cap.* 183. & *cap.* 1. allegat pro eodem S. Thomam *in* 3. *dist.* 3.

Eadem repetit *lib.* 2. *part.* 2. *art.* 3. vbi ait: *Quantùm gaudebat cor virgineum! Primò quidem de priuilegio excellentissimæ puritatis, quæ tantùm præfulgebat, quòd maior sub Deo puritas suâ puritate intelligi nequibat, vt dicit Anselmus lib. de Conceptu Virginali.* Sibi consonat *lib.* 1. *part.* 5. *art.* 2. *cap.* 3. vbi sic ait: *Sua gratia tanta fuit, quòd pura creatura, nisi esset Deo vnita, maioris gratiæ capax esse non potuit.* Hoc idem repetit *lib.* 5. *part.* 2. *art.* 2. *cap.* 5. & sæpiùs alibi.

Bernardinus de Busto *in Mariali*, ex mente Anselmi, & Alberti eadem docet. Nam 4. *part. serm.* 10. *part.* 4. ait: *Beatissimam Virginem habuisse puritatem in summo possibilem haberi ab aliqua pura creatura, probatur authoritate Anselmi.* Poste à verò citans Albertum, ait: *Maior purit as attenditur per maio-* 46 **Busto.**

re m

rem acceſſum, & approximationem ad ſummè purum.

Et 4.*part.ſerm.*2.*part.*3.ait: *Vbi maior eſt puritas; ibi maior eſt charitas: ſed Beatiſſima Virgo habuit puritatem in ſumma, qua ſub Deo maior nequit intelligi: ergo charitatem habebit in ſummo; cui in creaturis æqualis nequeat intelligi.* Et *ſerm.*8. *part.* 6. eadem repetit. Item *ſerm.* 10.*part.*1.& 11: *part.Marial. ſerm.* 2: *part.*11.& 12. *part: Marial: ſerm.*2.*part.*1.allegans S.Bonauenturam *in* 1. *diſt.*44. quem poſteà afferemus:

47 Citari etiam poteſt in hoc loco S. Bonauentura tanquam ſectator Anſelmi, eo quòd in ſpeculo; *lect.*1. vtitur eo dicto Anſelmi; præcipuè cùm ex dicendis §.70. certum ſit, S. Bonauenturam ſtatuere in B. Virgine omnem gratiam iuſtificationis poſſibilem in pura creatura.

48 *Abulenſ.* Abulenſis *paradoxo* 1.*cap.* 6. in vtroque ſequitur Anſelmum, & Albertum, his verbis: *Fuit autem hæc puritas, & munditiës animi perfectiori modo in B.Virgine, quàm in aliis omnibus creaturis: ſic enim ſacri teſtantur Doctores, decuiſſe nimirum, vt Beatiſſima Dei Mater tanta puritate polleret; qua maior ſub Deo non poſſet reperiri: ſiue accipiatur puritas propriè pro priuatione, aut abſterſione omnis culpa, aut macula, &c. ſiue accipiatur puritas pro augmento virtutum, aut ſecundum numerum; aut ſecundum gradualem intenſionem.* Quæ verba commentario non indigent, cùm tam apertè ſententiæ noſtræ patrocinentur.

Et solùm nota, virum eruditissimum non soli Anselmo illud dictum attribuere, sed in communi sacris Doctoribus, tanquam reuerà multi sint eius dicti assertores.

Augustinus Triumphus, aliàs de Ancona, *in expositione Salutationis Angelicæ, lect. 6. quæst. 3.* (extat *tom. 3. Bibliotheca Virginea,*) agens de tempore Incarnationis, ait: *Erat tanta puritate, & honestate repleta, quâ maior sub Deo non posset intelligi.* Per verbum autem, *honestate*, quod addidit, satis explicuit, se non de sola puritate negatiua loqui. Honestas enim vel castitatem, vel generaliter virtutem positiuam, quæ bonum omne honestum complectitur, significat. 49 *Aug. Triu.*

Quem sensum confirmant alia eiusdem Doctoris testimonia, in quibus hanc summam possibilem gratiæ plenitudinem concedit B. Virgini. Nam *lect.* 7. sic inscribit titulum quæstionis primæ: *An Deipara Virgo fuerit magis plena gratia, quàm aliqua alia creatura esse possit?* Et statim notat, *quod gratia datur à Deo ad quatuor effectus principaliter. Primò ad diuinæ gratiæ copulationem; nullus enim potest Deo coniungi, & copulari, nisi per gratiam ipsius. Vnde dicebat Apostolus: Per gratiam reconciliati sumus Deo, cùm essemus inimici, in sanguine eius.* Vbi apertè loquitur de gratia iustificante. Deinde enumerat tres alios effectus. Et ita respondet quæstioni: *Possumus igitur dicere, quòd plenitudo gratiæ B. Virginis in istis quatuor excessit gratiam datam, & possibilem dari cuilibet creaturæ Angelicæ,*

gelica, vel humana. Idem priùs dixerat *lect.* 7. *initio*, verbis infrà citatis, §. 149. *Nullus locus, & nulla anima alicuius creaturæ posset esse tanta, & talis gratiæ capax, sicut fuit anima Virginis gloriosæ.* Et verbis ibidem citatis asserit etiam, nullum sanctum, aut Angelum potuisse peruenire ad sanctitatem B. Virginis: quæ omnia conuincunt in B. Virgine summam sanctitatem possibilem in pura creatura.

50 Spiera. Ambrosius Spiera *serm.* 18. *considerat.* 1. *conclus.* 1. vtitur dicto Anselmi, *Decuit Virginem*, &c. ad probandam summam pulchritudinem B. Virginis. Cuius sensus de pulcritudine spirituali positiua per habitum infusum summum possibilem, clarè constat ex aliis eiusdem textibus. Nam *serm.* 11. *considerat.* 3. initio ait: *Prima conclusio est ista: Ex hac singulari Maternitate gloriosa Virgo tantam suscepit gratiam, quanta est possibilis humanæ creaturæ suscipere, & Deo glorioso infundere.* Et *conclus.* 1. ait: *Omnem gratiam possibilem Deo creaturæ infundere, Virgo gloriosa suscepit.* Et *serm.* 32. *consider.* 1. *concl.* 1. ait: *Omnes enim Doctores nostri concedunt, quod ex quo Virgo incepit esse Mater Dei, quod fuit finitis illis verbis, Ecce ancilla Domini, &c. mox in illam omnes gratiæ possibiles humanæ creaturæ cum benedicto Verbo pariter descenderunt.*

51 Dan. Agr. Daniel Agricola *in Corona B. Virginis, stella* 5. *coronæ* 4. cum Anselmo asserit: *Tanta puritate nitebat Maria, quanta sub Deo maior nequit intelligi.* Nomine autem puritatis ibi

ibi intelligit castitatem B. Virginis, quæ positiuus est habitus: maximè cum mentem suam ampliùs explicet aliis in locis. Nam *in stellâ 4. coronæ 2.* ait: *Vnde omnis alia creatura aliquid habet vacuitatis, quia maiorem gratiam recipere potest. Ipsa autem sic vsquequaque gratiâ plena fuit, quòd maiorem gratiam habere non potuit.*

52 Armandus de Bellouisû (qui scripsit ante trecentos quinquaginta annos) *collat.* 4. §. *Quantum ad 3. tom. 3. Biblioth. Virgin.* vtitur eo dicto Anselmi: *Fuit tanta puritatis, quâ sub Deo nequit maior intelligi.* Quod autem ibi loquatur de puritate positiua, patet ex eo, quod infert, vt dicemus §. 286. *Armand.*

53 Alanus Varenius *serm. 3. de Deipara, colum. 8. tom. 3. Biblioth. Virgin.* sic ait: *Decuit enim talem, & tantam Virginem tanta puritate, & cælesti candore nitescere, qua maior, ne in cælo quidem, nequeat intelligi.* Vbi addens, *& cælesti candore*, apertè significat, non loqui solùm de puritate negatiua, sed & de positiua animæ pulcritudine. Et *serm. 5. colum. 5.* ait: *Nefas erat, illam à quoquam heroum superari, quæ Dominum in suo vtero continuisset.* Idest, impossibile erat, Matrem Dei superari ab aliquo, qui dignitate Matris Dei careret. *Alanus.*

54 Tandem magni ducendum est dictum B. Andreæ Apostoli, quod in reuelationibus venerabilis Amadei, *raptu* 8. refertur prolatum esse ab Apostolo, cùm omnes Apostoli ad obitum Virginis conuenerunt, eius laudes celebraturi. Hæc autem sunt verba: *Iustum, & ra-* *B. Andr. Amadeus.*

tionabile fuit, vt Mater Dei tanta puritate splenderet, & tanta pulchritudine fulgeret, vt sub Domini nostri pulchritudine, nulla in terris, aut in cœlis maior cogitari possit. Vbi manifestum est, sermonem esse de pulchritudine spirituali sanctificantis gratiæ. Quod si ita verum est, hæc à B. Andrea dicta fuisse, vt verum esse par est credere (nam multi viri docti pro his reuelationibus militant) sine dubio B. Anselmus id dictum B. Andreæ nouerat, qui eodem ferè tenore verborum id asserit.

CAP. IV.

Eadem conclusio aliorum Ecclesiæ Patrum authoritate firmatur.

55 *Chrysost.* S. Ioannes Chrysostomus *serm. de B. Maria,* apud Metaphrastem, apertè fauet huic sententiæ, dum asserit, non esse possibilem creaturam sanctiorem, aut Illustriorem B. Virgine. Cuius hæc sunt verba: *Magnum reuera miraculum, fratres dilectissimi, fuit Beata semper Virgo Maria. Quid namque illa maius, aut illustrius vllo vnquam tempore inuentum est, seu aliquando inueniri poterit? Hæc sola cœlum, & terram amplitudine superauit. Quid namque illa sanctius? Non Propheta, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidquam inter creatas res visibiles, aut inuisibiles*

biles maius, aut excellentius inueniri potest. Hoc autem sine fundamento ad solas creaturas existentes limitabitur, cùm hæc postrema verba vniuersalissima sint, & per id verbum, *inueniri potest*, ad possibilia legitimo sensu extendantur.

Suffragatur S. Ambrosius *lib. 2. de Virginibus, initio*, iis verbis notissimis: *Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius eâ, quam splendor elegit?* Quæ verba eo sensu sunt intelligenda, quem expressit Alexius à Salo *in arte amandi Deiparam, priuileg. 5. condit. 3.* vbi ait: *Quid splendidius Dei Matre esse potest, quam splendor elegit? ait D. Ambrosius.* Constat autem, hanc interrogationem negationi æquiualere. Si ergo non potest aliquid splendidius esse B. Virgine, vtique in ordine gratiæ, infertur, splendorem B. Virginis esse summum possibilem in pura creatura. Quod idem de nobilitate, seu dignitate morali Matris Dei asserit in priori parte eius textus. 56 *S. Ambros.* *Salo.*

Eadem interrogatione vsus S. Augustinus clarè indicat, sanctitatem B. Virginis esse summam possibilem (apud Ægidium Romanum *in expositione Salutationis Angelicæ, tom. 3. Bibliotheca Virgin.* & *in Milleloquio ipsius Augustini, eodem tom. 3.*) ita enim habet: *Quid dignius, aut sanctius in humani generis semine potuit exoriri? Cui nullus Patriarcharum, nullus antiquorum sequentium Patrum, nullus omnino hominum poterit comparari.* Nulla ergo creatura humana potuit sanctior fieri, imò nec cum sanctitate B. Virginis comparari. 57 *S. August.*

parari. Quod & de reliquis creaturis intelligendum est; cùm nulla sit gratiæ capacior, quàm humana. Vbi notabis, Ægidium Romanum citatum afferre prædictum textum Augustini, vt probet B. Virginem ideò dici gratiâ plenam, *Quia ei data est gratia secundum totius subiecti capacitatem, non autem ad mensuram, vt datur cæteris ab ea.* Quæ sunt verba Ægidij, in quorum confirmationem proximè subdit eum Augustini locum.

Ægidius.

58 Fauet Andreas Cretensis *serm.* 1. *de Dormitione Deiparæ, in fine*, vbi ait: *Audeo aliquid dicere de pura, & impolluta, & quæ summè plena est omni sanctitate.* Non esset autem summè plena, si maius augmentum posset accipere.

And. Cret.

59 Fauet etiam S. Beda *lib.* 1. *in Luc.* qui ea Angeli verba, *gratiâ plena*, ita intelligit, vt tantum gratiæ in ea fuerit, quantum possibile fuit. *Plenam gratiâ dixit, vt quantùm Spiritus Sanctus valeret, ostenderet.* Enim verò non ostenderet quantum posset, si minus gratiæ, quàm posset, infunderet.

S. Beda.

60 Consonat S. Basilius in catena D. Thomæ, *in cap.* 1. *Luc.* ad ea verba: *Exultauit spiritus meus.* Ait enim: *Virgo Sancta totam sibi hauserat Spiritus gratiam.* Si autem non accepisset totam gratiam possibilem, quomodo verificaretur, quòd totam Spiritus gratiam sibi hausisset?

S. Basil.

61 S. Hieronymus (siue vt alij malunt, S. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus) *serm. de Assumptione Virginis*, in hac plenitudine gratiæ

S. Hieron.

gratiæ annunciata ab Angelo intelligit totam gratiam possibilem, his verbis: *Bene plena, quia cæteris per partes præstatur, Mariæ verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ.* Non enim tota se infudisset, si ampliorem posset recipere gratiam; sed Mariæ, sicut cæteris, per partes præstaretur.

Huc vocandus est S. Bernardinus Senensis, qui hoc Hieronymi testimonio vtitur ad probandam nostram assertionem, quam apertissimè profitetur. Nam *tom.1. serm.61. art.2. cap.10.* cùm proposuisset verba citata Hieronymi, *Cæteris per partes*, &c. Statim subdit: *Vnde patet, quod, excepto Christo, tanta gratia Virgini à Domino data est, quantam vni creaturæ puræ dari possibile esset.* Et *tom.2. serm. 51. art.3. cap.1.* hæc habet: *In illa Spiritus Sancti obumbratione, quâ B. Virgo concepit filium Dei, tantam largitatem, & copiam Spiritus Sancti accepit, quantum potest creatura viatrix recipere, non Deo vnita vnitate personæ. Nam secundùm Hieronymum serm. de Assumptione, tota gratiæ plenitudo, quæ est in Christo, in Mariam venit, quamquam aliter.* Nec te conturbet, quòd dixerit, *quantùm potest creatura viatrix recipere*; quasi amplius recipere posset in beatitudine. Id enim dixit, vt excluderet visionem beatificam, quæ (saltem habitualiter) non fuit ei data in statu viæ. Hunc verò esse legitimum sensum, ex eo constat, quòd sanctificantis gratiæ non est capacior creatura in statu patriæ, quàm in statu viæ. Idem dixit *tom. 3. sermon. 6. de Beata Maria,* 62 *Bernard.*

artic. 3. *cap.* 1. verbis infrà referendis, §.130.

Huc etiam vocandi sunt omnes illi Doctores, qui hanc Hieronymi assertionem eisdem verbis vsurpant. Hi sunt S.Bernardus *serm. de Natiuit.* S. Petrus Chrysolog. *serm.* 143. S.Laurent.Iustinian. *serm. de Assumpt.* S.Bonauentura *serm.* 3. *de B. Maria*, Albertus Patauinus *serm.* 58. *part.* 1. extat *tom.* 1. *Bibliotheca Virginea*, Abulensis *paradoxo* 1. *cap.* 1. Ægidius Romanus infrà citandus, §.79. Augustinus Triumphus *in expositione salutationis Angelicæ, lect.* 7. *initio*, Ambrosius Eremita *serm. de Annunciatione*, *ferè ad finem, tom.* 2. *Biblioth. Virgin.* Ambrosius Spiera *serm.* 4. *consider.* 1. *conclus.* 3. sed præcipuè *serm.* 11. *consider.* 3. cùm conclusionem sic statuisset: *Prima conclusio est ista: Ex hac singulari Maternitate gloriosa Virgo tantam suscepit gratiam, quanta est possibilis humanæ creaturæ suscipere, & Deo glorioso infundere,* hanc conclusionem ita probat: *Secundò hæc conclusio probatur authoritate. Audi Hieronymum in serm. de Assumptione: Cæteris, inquit, per partes gratia; Mariæ verò se totam infudit plenitudo gratiæ.* Ad eandem plenitudinem probandam vtitur hoc testimonio Hieronymi S.Antoninus *tit.* 15. *cap.* 6. *initio*, Antonius Brixiensis *serm.* 3. *tom.* 2. *Biblioth. Virgin.* Guilielmus Parisiensis *in Euangelium Annunciationis*, ad ea verba *gratiâ plena.*

S. Bernardus apertè militat pro nostra assertione apud S. Bonauenturam infrà citandum

[Margin notes: 53 — S.Bernard. — S.Chrysost. — S.Lau.Iust. — S.Bonau. — Alb.Pat. — Abulens. — Ægidius. — Triumph. — Ambr.Er. — Spiera. — S.Anton. — Brixiens. — Guillelm. — S.Bernard.]

dum, illis verbis: *Neque enim decebat Deum alia Mater quàm Virgo, neque Virginem alius filius, quàm Deus; quia nec maior inter Matres, nec maior inter filios nasci potuit.* Quod testimonium infrà ponderabimus cum testimonio S. Bonauenturæ. Vide etiam Bernardum infrà, §. 280. vbi manifestè docet eandem doctrinam.

S. Thomas *3. part. quæst. 27. art. 5. in corp.* 65 *S. Thom.*
planè patrocinatur huic sententiæ, asserens, B. Virginem ex summa propinquitate ad Christum, summam obtinere gratiæ plenitudinem inter omnes puras creaturas, verbis infrà referendis, §. 155. ex quorum attenta ponderatione constabit, à S. Thoma constitui in B. Virgine summam gratiæ habitualis plenitudinem, quæ in pura creatura possibilis est.

Solùm tamen obstare potest, quòd videtur 66
S. Doctor oppositum docuisse *3. part. quæst. 7. art. 10. ad 1.* vbi ita ait: *B. Virgo dicta est plena gratiâ, non ex parte ipsius gratiæ, quia non habuit gratiam in summa excellentia, quâ potest haberi, nec ad omnes effectus gratiæ; sed dicitur fuisse plena gratiâ per comparationem ad ipsam, quia scilicet habebat gratiam sufficientem ad statum illum, ad quem erat electa à Deo, vt esset scilicet Mater vnigeniti eius.* Si ergo non habuit B. Virgo gratiam in summa excellentia, quâ potest haberi: ergo non habuit totam possibilem.

Hic tamen textus Angelici Præceptoris 67
non oppugnat, quin potiùs confirmat conclu-

ſionem noſtram. Ibi enim loquitur de illa plenitudine gratiæ,quam Ioannes in Euangelio attribuit Chriſto Domino,dum illum agnouit *plenum gratiæ, & veritatis.* Loquitur itaque de plenitudine omnium gratiarum, etiam vnionis hypoſtaticæ; ideóque in hoc ſenſu meritò negat,gratiam B. Virginis fuiſſe in ſumma excellentia,quâ poteſt haberi,& ad omnes effectus gratiæ, ſcilicet redimendi genus humanum,& alios Chriſti proprios. Cum quo ſtat, quòd gratia habitualis B. Virginis fuerit in ſumma excellentia,quâ poteſt haberi à pura creatura.

68 Sed quamvis loquatur de plenitudine gratiæ habitualis, adhuc non nocet S. Doctor noſtræ ſententiæ. Nam ex §.343.conſtabit, quomodò quamvis B. Virgo habeat totam gratiam habitualem poſſibilem in pura creatura, adhuc non habeat gratiam habitualem in ea ſumma excellentia,quâ poteſt haberi,& de facto habetur à Chriſto Domino,eo quòd non habeat gratiam habitualem debitam vnioni hypoſtaticæ. Quomodò autem ea poſtrema verba: *Quia ſcilicet habebat gratiam ſufficientem ad ſtatum illum, ad quem erat electa à Deo*, confirment noſtram ſententiam, conſtabit ex §.139.

69 *Guarricus.* Guarricus Ignacienſis Abbas *ſerm.* 4. *de Purificat.* agens, quomodo Spiritus Sanctus interiùs purificauerit B.Virginem in conceptione Verbi æterni,ait: *Cui ſcilicet dictum eſt, Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Hæc nempe ſuperna*

virtutis

virtutis obumbratio vera fuit purificatio Mariæ, non ista, quæ quadam mysticâ dispensatione tantum specie tenus hodie celebrata est. Hæc planè fuit vera, ac tota sanctificatio Matris, & Filij, sicut & Angelus exposuit ei: Ideo, inquit, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Antea namque purificanda erat natura mortalis, vt Deum conciperet; non postea quàm concepisset. Cùm concepisse sanctum sanctorum summa sanctificatio sit; & eâ, quæ Mater ipsius sanctificati effecta sit, nihil sanctius esse possit. Quod testimonium adeò est dilucidum, vt explicatione, aut ponderatione non egeat; cùm ex mente Guarrici impossibilis sit maior sanctitas.

S. Bonauentura insignis Patronus est huius 70
assertionis. Nam *in 1. dist. 44. dub. 3.* versans illum textum Magistri, *Quod Deus non potest facere meliora*; inquirit, an possit Deus creaturam facere meliorem Deiparâ. Et primò quantum ad corpus concedit, esse potuisse perfectiorem. Secundò quantum ad dignitatem Matris Dei, concedit, quod *nihil nobilius cogitari potest*; vt ex eius verbis ostendimus *disput. præced.* §. 9. & tandem consequenter ad hæc addit: ***Si autem loquamur quantum ad gratiam iustificationis, tantam habuit, quantam pura creatura humana, siue rationalis, quæ facta est, capere potest.*** Nec te moueat id verbum, *quæ facta est*; quasi creatura possibilis ampliorem gratiam capere potuerit. Tum quia mihi certum est, non esse capaciores gratiæ iustificantis creaturas possibiles, quàm creaturas

S.Bonau.

ras existentes : tum etiam quia cum quæstionem instituerit, *Vtrum Deus possit facere meliora*; non satis responderet quæstioni, asserens,non potuisse esse maiorem sanctitatem in creaturis de facto conditis; cùm adhuc vis dubij remaneat,an maior alia sanctitas à Deo fieri possit, siue sit in his,siue in aliis creaturis possibilibus. Dixit ergo id verbum, *quæ facta est*, ad explicandum magis, se loqui de pura creatura,quæ facta,& creata est à Deo,non de ChristoDomino,qui nec pura est creatura,nec quoad vtramque naturam factus. Et ideò Bernardinus de Busto 12. *part. Marial. serm.* 2. *part.* 1. in hoc sensu intellexit S. Bonauenturam : *Deus namque*,inquit,*illi contulit tantam bonitatem, ac gratiam, tantamque dignitatem, quòd maiorem alicui puræ creaturæ non vnitæ personaliter,conferre non potuit*; *quia nulla talis creatura maioris bonitatis vel gratiæ, atque dignitatis capax fuit,vt patet ex dictis B. Bonauentura in* 1. *dist.*44.

Busto.

71 Consonat sibi S. Bonauentura *in Speculo, cap.*4. ibi : *Ipsa est,quâ maiorem Deus facere non posset. Maiorem mundum facere posset Deus,maius cœlum facere posset Deus,maiorem matrem, quàm Matrem Dei, non posset facere Deus. Vnde Bernardus ait : Neque enim decebat Deum alia mater, quàm Virgo, neque Virginem alius filius,quàm Deus : quia nec maior inter matres, nec maior inter filios nasci potuit.* Vbi vides, iuxta Bonauenturam, & Bernardum, non esse possibilem maiorem in ordine gratiæ,siue sanctiorem matrem,quàm B. Virginem.

S.Bernard.

Dicet tamen aliquis, ibi loqui SS. Doctores, 72
ita vt terminus *Maiorem*, appellet supra formale Matris; & sensus sit, non posse esse maiorem matrem in ratione, & relatione matris, cùm non possit esse maior filius: idest, non posse esse matrem maioris filij. Sed si textus attentè inspiciatur, longè distat ab eius sensu hæc explicatio. Primò, quia incipit eâ absolutâ propositione, *Ipsa est, quâ maiorem Deus facere non posset*; quæ, vt patet, non est capax eius sensus; cùm in ea non reperiatur formale matris ad appellationem.

Secundò, cùm dicit, *maiorem matrem*, in- 73
telligi debet de creatura, quæ in se sit maior, & perfectior; alioqui enim non esset ad rem dicere, quòd posset Deus maiorem mundum, & maius cælum facere, non verò maiorem matrem. Sicut non esset ad rem, si quis diceret, posse Deum condere maius cælum, & maiorem terram; non verò maiorem filium adoptiuum, quàm iustum; neque maiorem Sacerdotem, quàm Sacerdotem Dei; neque maiorem Vicarium, quàm Vicarium Christi: & sic de reliquis muneribus, quæ referuntur ad Deum. Quæ enim esset hæc laus maxima, quam indicat ille apparatus verborum S. Bonauenturæ, si ea communis esset omnibus rebus, quæ habent relationem ad Deum?

Tertiò idem colligitur ex verbis S. Bernar- 74
di ibi allegatis. Quorum sensus est, expedire, Deum non habere aliam matrem, quàm B. Virginem, & Virginem non habere alium filium, nisi Christum Dominum. Et primæ

partis

partis rationem exhibet, scilicet quia esse non potuit fœmina maior, sanctior, & dignior. Quod verò B. Virgo non debuerit habere alium filium, inde probat, quòd cùm ipsa sanctior fuerit, sanctiorem filium sortiri debuerit. Quod si ea verba S.Bernardi, *Nec maior inter matres*, in eo sensu velit quis intelligere, quasi non sit alia maior in ratione matris, eo quòd non sit maior filius; ridicula fieret ratio S. Doctoris. Esset enim talis: Expedit, quod Deus non habeat aliam Matrem, quàm B. Virginem, quatenus non potest esse melior mater in ratione matris, quàm Mater Dei; siue quia eo ipso, quòd illa esset Mater Dei, non poterat inueniri melior mater. Quod alienissimum est à mente S.Doctoris, imò & à mente cuiuslibet diserti viri.

75 Enim verò in illa ratiocinatione S.Bernardi hic discursus includitur: *Deum non decet alia mater, nisi illa, quā maior inter matres nequeat inueniri: sed B. Virgine Maria nequit alia maior inueniri: ergo hæc mater Deum decet, & non alia.* Et etiā discursus iste: *B.Virginē solùm decet ille filius, quo nullus alius maior nasci potuit: sed non potuit nasci maior alius Deo: ergo solùm decet, Deum esse filium B.Virginis.* Si autem non intelligeretur de præstātia sanctitatis B. Virginis, sed de præstantia in ratione Matris Dei formaliter vt talis, discursus talis esset: Non decet Deum alia mater, nisi illa, quâ maior sub Deo nequeat inueniri: sed Matre Dei, vt talis est, nulla maior potest inueniri: ergo non decet Deum alia mater, nisi illa,

illa, quæ sit Mater Dei. Quæ conclusio indigna est tanto Doctore. Quæ enim esset hæc decentiæ affirmatio? Quòd Regem non deceat alia Mater, nisi quæ pepererit Regem: neque Marchionem deceat alius seruus, nisi ille, qui sit seruus Marchionis: neque Principem alius Magister, nisi qui fuerit Magister Principis. Propositio itaque, quam assumit probandam S. Doctor, est, non decere Deum aliam matrem, nisi B. Virginem Mariam ob præstantiam suæ sanctitatis. Ad quam probandam eæ duæ propositiones valent, scilicet imbibitæ in verbis Bernardi: Non decet Deum alia mater, nisi illa fuerit ita præstans, scilicet in ordine gratiæ, quâ nulla maior, & præstantior possit inueniri: nulla autem maior, & præstantior B. Virgine in ordine gratiæ potest inueniri. Quibus ita ad veritatis trutinam perpensis, precor te, studiosè Lector, vt iterum attentè relegas verba Bernardi, & apertè comperies, nullum alium esse posse verborum sensum.

Et ideò Chrysostomus à Visitatione *tom.* 1. *lib.* 2. *de verbis Dominæ ad Angelum*, *cap.* 8. in hoc sensu omninò intelligit vtrumque Doctorem. Cuius Authoris verba dabo infrà, §. 91. 76 *Chrysost. à Visit.*

CAP.

CAPVT V.

Aliorum Patrum, & veterum Doctorum testimoniis conclusio vlteriùs roboratur.

77 *Richard. à S.Laur.* Richardus de S. Laurentio expressè profitetur hanc doctrinam *lib.1. de Laudib. Virg.cap.4.* ibi: *Omnis alia creatura aliquid habuit vacuitatis, quia maiorem gratiam recipere potuit. Ipsa autem sic vsquequaque gratiâ plena fuit, quia maiorem gratiam habere non potuit, nisi ipsa Diuinitati vniretur, hoc est, nisi ipsa esset Deus. Hæc est plenitudo, de qua hic specialiter dicit Angelus, Aue gratiâ plena.* Quid clariùs esse potuit, ad asserendum, habuisse B. Virginem omnem gratiam possibilem in pura creatura?

78 *Pet. Dam.* Id ipsum docet B. Petrus Damianus *tom.2. serm.45. in Natiu.B.Mariæ, colum.2.* tractans, quomodo B.Virgo, quæ Thronus est Dei, auro, id est Deo, vestita fuerit, & ait: *Hoc est ergo aurum fuluum nimis, quo Thronus Dei est vestitus: quia tali modo Deus Virginem induit, & in Virgine indutus est, vt meliori non posset.* Induta est ergo B. Virgo hoc auro, scilicet per sanctificationem, iuxta phrasim Apostoli, talem, & tantum, vt non potuerit meliori modo indui, nec maiorem capere sanctitatem. Et sibi consonat *serm.47.* dum ait: *Quid*

Quid enim sanctitatis, quid iustitiæ, quid Religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gratiæ charismate plena fuit? Multùm enim deesset sanctitatis & iustitiæ; neque totius diuinæ gratiæ charismate plena esset, si non haberet totam gratiam sibi possibilem.

Ægidius Romanus *in expositione Salutationis Angelicæ* (extat *tom. 3. Biblioth. Virgin.*) ad ea verba, *gratiâ plena*, ita asserit: *Primò enim dicitur Gratiâ plena, non particulariter, sed vniuersaliter; quia cæteris Sanctis, & etiam ipsis Angelis non omnes gratiæ datæ sunt, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 12. dicentis, quòd vnus atque idem spiritus diuidit singula singulis, prout vult, & non dicit, quòd diuidat omnia omnibus. Maria autem dicitur gratiâ plena, quia ei sunt datæ omnes gratiæ, secundùm illud Ecclesiast. 24. In me omnis gratia vitæ, & veritatis. Et hæc est sententia Hieronymi in sermone, cui est principium, Cogitis. Dicit enim: Bene Maria dicitur gratiâ plena, quia cæteris quidem per partes datur, Mariæ verò se tota simul infudit plenitudo gratiæ.* Et paucis interiectis, id magis explicat: *Dicitur gratiâ plena, quia ei data est gratia secundùm totius subiecti capacitatem, non autem ad mensuram, vt datur cæteris ab ea.* 79 Ægidius.

Et inferiùs addit: *Tertiò dicitur plenitudo excellentiæ, quod intelligitur, quando aliquis non solùm habet gratiam, per quam possit saluari, & gratiam redundantiæ, vt alios sua gratia participes faciat; sed tantam habet, vt non*

sit capax maioris gratiæ recipiendæ in tali statu. Nec tibi scrupulum excitet ea limitatio, *in tali statu*; quasi in statu beatitudinis capacior gratiæ fuerit. Id enim dixit, vt excludat visionem beatificam, vt in simili dixi §.62. Et id vlteriùs repetit in fine expositionis horum verborum. Et ad ea verba, *Dominus tecum*, asserit, Dominum fuisse cum B. Virgine *modo excellentissimo, quo potuit Deus existere in pura creatura, scilicet per gratiæ plenitudinem in mente, &c.* Relege totum textum *disp. præced.* §.22. Id etiam repetit verbis inferiùs citandis, §.88.

80 *Richelius.* Dionysius Richelius *libro* 1. *de laudib. Virg. art.* 26. postquàm retulit varia gratiæ dona B. Virgini concessa, addit: *Numquid parua sunt ista? Nonne tam magna, tam summa, & singularia sunt, vt puræ creaturæ, citra personalem vnionem cum Verbo Æterno, maiora dari non valeant?* Non ergo potest esse maior gratia in pura creatura. Idem repetit *lib.* 1. *art.* 22. & *lib.* 3. *art.* 22.

81 *S. Thom. de Villan.* S. Thomas de Villanoua hanc eandem expressè docuit conclusionem *concione* 3. *de Natiu. B. Mariæ*, his verbis: *De his quid dicere possumus, nisi quòd illi datum est, quantum capax est pura creatura?* Quid clariùs?

82 *Alcuinus.* Albinus Alcuinus (quem citat Richardus à S. Laurentio *lib.* 2. *de laudib. Virg. part.* 1. §. *Quarta*,) sic ait de B. Virgine: *In hac ciuitate, & in hoc monte magnus Dominus, & laudabilis nimis: imò audacter dico, maior, & laudabilior quàm in omnibus creaturis.* Quæ

postrema

postrema verba ad creaturas etiam possibiles extendenda sunt; cùm nihil sit limitans ad solas existentes. Alioqui quid audacter diceret, si solis creaturis existentibus agnosceret superiorem? Quod si omnibus possibilibus superior est, infero: ergo nulla est possibilis, quæ habeat maiorem gratiam: ergo B. Virgo omni gratiâ possibili prædita fuit. Quæ consequentiæ legitimè deducuntur.

Almainus ex verbis Angeli *gratiâ plena*, infert, eam habuisse omnem gratiam possibilem. Ita *in 3. dist. 3. quæst. 2. notat. 3.* his verbis: *Tunc tantam recepit perfectionem, quantam poterat recipere; aliàs mentitus esset Angelus, dicendo, Aue gratiâ plena.* Vbi notandum est, Almainum expressè docuisse possibilem infinitam gratiam habitualem, vt retulimus *in hac disput.* §. 2. vnde speciali iure colligimus, ex mente illius fuisse, constituere in B. Virgine infinitam gratiam habitualem; quandoquidem concedit omnem illam gratiam, cuius fuit capax: admissa enim possibilitate gratiæ infinitæ, quodlibet subiectum rationale est subiectum capax infinitæ. 83 *Almain.*

Aureolus *in 3. dist. 3. quæst. vnic. art. 7. §. Effectus*, constituit in B. Virgine gratiam, & virtutes in summò gradu possibili, iis verbis: *Fuit enim in gradu summo accepta. Secundò fuit in ea cumulus virtutum summus, & iste fuit respectu animæ.* Neque enim clariùs dici potuit: hi namque sunt termini scholastici, quibus solet explicari maxima gratia possibilis, præcipuè apud Theologos Scholasticos. 84 *Aureolus.*

85 *Vitalis.* Idem satis expressè dixit Cardinalis Ioannes Vitalis *in Speculo morali*, verbo *B. Maria*, vbi ait: *Virgo Maria plena fuit gratiâ, & deuotione, quam anima eius potuit capere.*

86 Huc vocandi sunt illi Patres, & Doctores, qui omnem gratiam generaliter datam fuisse docent B. Virgini. Quod in rigore de omni possibili debet intelligi, cùm non sit verè omnis gratia, cui aliqua pars, aut aliqui gradus desint. Maximè cùm ex dictis constet, Patres, & veteres Doctores B. Virgini concessisse omnem gratiam possibilem in pura creatura: nam eodem modo intelligendi sunt, qui generaliter omnem concedunt. *S. Athan.* Ita S. Athanasius *serm. de Deipara*, inquiens. *Ex te prodiit Deus noster, omnem tibi largiens gratiam.* Andreas *And. Cret.* Cretensis *orat. 2. de dormitione Deiparæ*: ait, *Omnis sanctitatis sanctissime Thesaure.* S. Bo- *S. Bonau.* nauent. *in Spec. lect. 3.* ibi: *Quid mirum, si omnis gratia in Mariam confluxit?* S. Metho- *S. Method.* *S. Anselm.* dius citandus infrà, §. 250. *Omnem Matri & gratiam, & honorem impendit.* S. Anselmus *de Excell. Virg. cap. 5.* ait: *In quam fluxit supereminens gratia omnium gratiarum.* S. Gre- *Neocaes.* gorius Neocæsar. *serm. 1. de Annuntiat.* hæc habet: *Quoniam cum ipsa totus gratiæ Thesaurus reconditus erat.* Et deinde addit: *Verè enim arca est sanctissima Virgo intrinsecùs, & extrinsecùs deaurata, quæ vniuersum sanctificationis Thesaurum suscepit.* Neque intelligitur is Thesaurus sanctificationis de Christo Domino, sed de sanctitate Virgini inhærente; cùm referatur ad hoc, quòd fuerit intrinsecus, & extrinsecus deaurata.

S. Augustinus in *Magnificat*, initio (extat tom. 3. *Biblioth. Virgin.*) ait: *Statim aduenien- te Spiritu Sancto in Virginem, omni gratia virtutum sacrosanctum habitaculum, in aduentu Dei, implente.* S. Ildephonsus *in Corona B. Virginis, cap.* 7. sic asserit: *Omnibus Thesauris gratia decoratur.* Et *cap.* 10. sic: *Cui fortiter adhasit totius sanctitatis gratia, & charisma.* Et *cap.* 17. sic: *Totius sanctitatis magnificaris ornatu.* Quod etiam repetit *cap.* 20. S. Cyprianus (apud Alanum proximè citandum, *serm.* 3. *Omni iustitiâ plenissima.* Quibus similia in Patribus passim reperies. Et in Reuelationibus venerabilis Amadei, *raptu* 5. in Psalmo, quem cecinerunt Angeli in Incarnatione, dicitur: *Impleta est Mater omni gratiâ.* 87 S. August. S. Ildeph. S. Cyprian. Amadeus.

88 Huc etiam vocandi sunt Doctores asserentes, sanctitatem B. Virginis esse immediatam sanctitati Diuinæ, aut esse maximam post Diuinam. Hac enim dicendi formâ satis declarant, esse maximam suprà quamlibet puram creaturam possibilem. Ita enim loquitur Andreas Cretensis *orat.* 2. *de dormit. Deip.* ibi: *Quæ, excepto Deo solo, es omnibus altior.* Et S. Antoninus suprà citatus, §. 42. Ægidius Romanus in expositione Salutationis Angelicæ, & in significatione nominis *Maria*, ait: *In eo, quòd Maria interpretatur illuminata, intelligitur abundantia luminositatis in ea, hoc est, quia ipsa est lux immediata ipsi summæ, & æternæ luci. Et rationabiliter debet credi* (ecce declarat, quid sit esse immediatam æter- And. Cret. S. Anton. Ægidius.

næ luci) *quod sit lux dignior, purior, pulchrior, & abundantior, quàm de quacumque alia creatura dici possit.* Alanus Varenius *serm. 1. de Deip.* ait: *Vertice summum cœlorum contingens, & ad Diuinitatem vsque perueniens.* Et *serm. 2.* sic: *Plusquàm Angelico candore illuminans, vt post Agnum immaculatum, & filium suum electum ex millibus sit ipsa in cœlesti curia lucerna.* Sed & S. Gregorius Magnus verbis relatis infrà, §. 242. & Nicolaus Sanderus §. 90.

Alanus. S. Gregor.

CAPVT VI.

Doctores Recentiores, qui eandem conclusionem tuentur.

89 Ex Recentioribus Scriptoribus non desunt, qui B. Virgini concedant omnem gratiam possibilem in pura creatura. P. Alphonsus Salmeron *tom. 3. in Euangelia, tract. 5. §. Obiiciunt hæretici.* Id expresè tradidit: *Maria verò illi* (scilicet Christo) *proxima, ac singulariter coniuncta, plena dicitur gratiâ, quantam Matrem Messiæ habere decebat, quantumque pura creatura poterat esse capax.*

Salmeron.

90 Nicolaus Sanderus fauet huic conclusioni *lib. 6. de Claue Dauid, §. Angeli quidem, pag. mihi 372.* sic: *Nulla etiam persona post sanctissimam Trinitatem cum Maria est vllo*

Sanderus.

modo conferenda. Hæc enim singularem inuenit gratiam apud Deum, vt illius admirandi operis cooperatrix, & velut adiutrix fieret. Cuius sensus est, Beatam Virginem, propter singularem gratiam, quam inuenit apud Deum, superiorem esse omni personâ, exceptis personis Sanctissimæ Trinitatis. Et quidem si non diceret, *Post Sanctissimam Trinitatem*, possemus intelligere de personis dumtaxat existentibus: cæterùm cùm solùm excludat Sanctissimam Trinitatem, ad possibiles etiam extendendum videtur. Et paulò ante, §. *Qui nouit*, clariùs adhuc dixit, non posse vllam fœminam esse maiorem; eiusque filium illi tribuisse omnem spiritualem honorem, cuius ipsa fuit capax, idque in summo gradu: cuius verba formalia habentur infrà, §. 242.

Chrysostomus à Visitatione *tom.* 1. *lib.* 2. *de verbis Dominæ ad Angelum*, *cap.* 8. affert verba S. Bonauenturæ, & S. Bernardi, quæ suprà dedimus, §. 71. in quibus, vt ostendimus, hi duo Patres profitentur, esse non posse maiorem, aut sanctiorem creaturam B. Virgine; quos ipse ita explicat, & intelligit. Ex qua doctrina ita colligit, non potuisse existere in B. Virgine gratiam, & perfectionem maiorem; vt colligat etiam, ne vnam quidem virtutem potuisse in ea esse maiorem, & perfectiorem; alioqui iam maior, & perfectior esse posset, si vna solum virtus maiorem capere potuisset intensionem. Ea sunt illius verba: *Ex his horum Patrum sententiis inferri optimè potest, omnes in Maria virtutes sic æquales,* 91 *Chrys. à Visit.*

& summè perfectas fuisse, vt earum nulla nec maior, nec minor aliis existeret. Quomodò enim maiorem Mariam Deus facere non posset, sicut dicit D. Bonauentura; & quomodò etiam maior inter matres nasci non potuisset, sicut inquit D. Bernardus, si in illa maior, vel minor virtus vlla dari posset? Etenim in ea, quæ adeò perfecta à Deo effecta est, nihil fuit, nec maius, nec minus. Alioquin si concedamus, quòd in Virgine daretur virtus alia virtute minor, opus est, vt etiam concedamus, Deum virtutem ipsam, quæ in ea, aliâ virtute minor existebat, ita potuisse intendere, vt maiori virtuti adæquaretur. Ex quo sanè facto apertissimè quidem sequeretur, quod saltem secundum hanc virtutem, maior Maria efficeretur, quàm antea esset; & ex consequenti, quòd non ita perfecta esset, quin maiorem illa facere posset: quod non est concedendum. Ecce quomodo Author quasi absurdum reputat, quòd sanctitas, & virtutes B. Virginis non habuerint totam intensionem possibilem.

92 Ponte. P. Ludouicus de Ponte *in Cantica lib.* 1. *exhort.* 6. *initio*, in eandem sententiam ita scribit: *Noua vtriusque sanctitas, ac dignitas, quia in viro est Deo æqualis; in fœmina verò, quia nulla maior sub Deo potest intelligi.* Et ibidem, §. 3. secutus Anselmum, & Hieronymum suprà citatos, ait: *Nam teste D. Anselmo, decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi: decuit etiam ea sanctitate, ac plenitudine gratiæ fulgere, quâ maior sub Christo non valet inueniri. Nam, vt dixit D. Hierony*

Hieronymus: Bene gratiâ plena, quia cæteris per partes præstatur, Maria verò se tota simul infudit gratiæ plenitudo. Quod vlteriùs repetit ibidem, §. *Hinc fortè.*

93 *Fernand.* P. Benedictus Fernandez *tom. 1. in Genes. cap. 14. sect. 7. num. 1.* breuibus, sed expressis terminis assertioni subscribit: *Nihil*, inquit, *sublimius, atque sanctius post Deum aut esse, aut fingi potest, quàm ipsa Dei Mater.* Quod si non haberet omnem gratiam possibilem, aliqua creatura possibilis sanctior posset cogitari.

94 *Lud. Gran.* Ludouicus Granatensis apertè fauet nostræ sententiæ *serm. 2. de Natiu. B. Mariæ, n. 33.* vbi ita ait: *Sicut enim nulla post Deum dignitas Dei Genitrice maior; ita nulla sanctitatis prærogatiuâ sublimior.* Illum autem loqui de possibili, constat: nam *serm. de Annuntiat. n. 33.* dixerat: *Hac tanta dignitate, quâ nulla post sacram Christi humanitatem maior excogitari potest, &c. Ita* etiam *nullâ sanctitatis prærogatiuâ sublimior*, scilicet excogitari potest: cùm vtramque dignitatem æquiparet.

95 *Ormachea.* Hieronymus de Ormachea *in cap. 1. Canticorum, vers. 1. num. 366.* id apertè asseruit (cuius verba commodiùs dabimus cap. sequenti) præcipuè in illis vltimis verbis: *Quin, vt considerat D. Bonauentura, qui dicit plenitudinem, dicit omne possibile.* Et P. Ioannes Offorio verbis infrà citandis, §. 129. *Offorio.*

96 *Brouuer.* Adamus Brouuerus *tract. de Salutatione Angelica, cap. 1. quæst. 17.* (extat *tom. 1. Biblioth. Virgin.*) vbi agens de dignitate Matris,

& de plenitudine gratiæ ipsi conueniente, ait: *Habent itaque hæc quandam infinitatem. Ac ideò decuit (teste Anselmo lib.de Conceptu Virginali) vt Mater Dei eâ puritate (quæ gratiam designat) niteret, quâ sub Deo maior intelligi nequeat.* Et *quæst.* 18.ait: *Sexta plenitudo nominatur gratia totalis, iuxta modum loquendi S. Hieronymi, aut Sophronij serm. de Assumpt. Cæteris sanctis gratia præstatur per partes; Mariæ verò tota se infudit gratiæ plenitudo.*

97 *Salo.* Alexius à Salo in arte amandi Deiparam, *priuileg.5.condit.4.tom.1.Biblioth.Virgin.* ait: *Priua ea gratia soli Deiparæ concessa fuit, sola virgo eâ puritate potuit gloriari, quâ sub Deo maior nequit intelligi.* Et quòd id ita intelligat de puritate positiua gratiæ, & sanctitatis, constat ex declaratione primæ stellæ coronæ B. Virginis, vbi sic ait: *Nam omni dubio procul, vt eò honoris prouecta est, quo maiorem creatura nulla possit adipisci; sic illi tantum gratiæ ac sanctitatis diuinitus collatum est, quo maior non potest meræ creaturæ conferri.* Idem repetit *priuil.5.condit.3.* Et in declaratione stellæ 6. agens de plenitudine gratiæ, quæ Stephano, & aliis Sanctis tribuitur, subdit: *Cùm verò Angelus Virginem salutare iussit, vocans eam gratia plenam, de plenitudine longè aliâ & vberiore, singulari atque excellentiore loquebatur, adeóque ampla, vt in quamcunque meram creaturam aliam à Maria cadere non possit.*

98 *Alb. Marq.* Albertus de Marquesiis *in Cœliloquio morali, lib.6.cap.56.tom.3.Biblioth.Virgin.* cùm S. Bona

Bonauentura suprà citato, à quo verba mutuare videtur, asserit: *Si loquamur quantùm ad gratiam iustificationis, tantam habuit, quantam creatura pura humana, siue rationalis, quæ facta sit capere potuit.*

99 *Angelus de Pace.* Angelus de Pace, aliàs de Passu, super *Missus est*, c. 25. ad ea verba, *Gratiâ plena, tom. 3. Biblioth. Virgin.* ait: *Es quippe gratiâ illâ plena; quòd fauores reliquos superat, & subleuat te ad omnem excellentiam, quæ cùm in cælis, tum in terris appeti potest, aut concedi.* In quo cum dicto Anselmi coincidit: nam quod potest intelligi, & quod potest appeti, conuertibilia sunt. Et ibidem ad ea verba, *Dominus tecum*, ait: *Denique quia Dominus tecum, non aliud quidpiam (perorat Chrysostomus orat. in Hypapant. Domini) inter creatas res visibiles, aut inuisibiles vnâ hac maius, aut excellentius inueniri potest.*

100 *Barbian.* Tandem illi magnoperè fauent asserta Salmanticensia propugnata à P. Ioanne Barbiano; nam in asserto 2. dicitur, B. Virgini tantùm gratiarum, & donorum collatum fuisse, quantùm possibile fuit. Item nullam fuisse mensuram donorum gratiæ B. Virginis, nisi solam Dei Omnipotentiam. Asserti verba referuntur §. 262.

CAP.

CAP. VII.

Patres, & Doctores adstruentes gratiam B. Virginis infinitam, & immensam.

101 Testimonia Doctorum, qui gratiam B. Virginis infinitam, & immensam appellant, non magni facerem, si illis dumtaxat niteretur nostra conclusio; possent enim reputari tanquam quid hyperbolicum, magis ex affectu laudantium profectum, quàm ad rigorosam doctrinæ trutinam libratum. Sed cùm ex dictis constet, esse commune placitum sanctorum Patrum, & Scriptorum, quòd B. Virgo omni sanctitate, & gratia habituali possibili in pura creatura prædita sit; non potest reputari hyperbolicum, sed potiùs ineluctabili consequentiæ nexu deductum, quòd ea gratia dicatur infinita, sicut non est hyperbolicum asserere, quòd tota gratia possibilis sit simpliciter infinita. Iam ergo in hac secunda classe refero Doctores asserentes, gratiam, & sanctitatem B. Virginis esse infinitam.

102 *S. Anselm.* Vidimus *disput. præcedenti*, §. 5. S. Anselmum docuisse, Maternitatem Dei esse summam dignitatem possibilem. Item *in hac disput.* §. 34. B. Virginem habere omnem sanctitatem, quæ sub Deo potest intelligi. Consequenter

quenter ergo eam sanctitatem B. Virginis appellat immensam; tum variis in locis, tum præcipuè *lib. de Excellentia Virginis, cap.* 8. in hæc verba: *Quid amplius dicere possum, Domina? Immensitatem quippe gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tuæ considerare incipienti, & sensus deficit, & lingua fatiscit.* Et *cap.* 3. loquens de amore amicitiæ, quo Deus prosequitur B. Virginem (qui amor est mensura, & radix omnis sanctitatis) immensum vocat his verbis: *Nullus hominum, vel Angelorum penetrare potest immensitatem Diuini amoris erga Virginem.* Plenus est Anselmus hac loquendi forma, quoties de gratia, & virtutibus B. Virginis loquitur. Nec patitur ipse S. Doctor, quòd existimemus, id potius ex affectu laudandi, quàm ex desiderio veritatis proficisci; nam præter ea, quæ initio capitis in hanc rem dicta sunt, ipse Anselmus *cap.* 9. hunc interpretandi modum nobis prohibet: *Ne tamen aliquis eorum nimis insolens autumet nos magis more laudantium ista dicere, quàm rem, sicut est, considerare.* Cùm ergo B. Anselmus immensam vocat gratiam Deiparæ, vtique *rem sicut est, considerat.*

Quòd autem immensum sit idem, quod infinitum, manifestò liquet. Immensum enim est illud, quod omni mensura caret; at finitum mensuræ capax est, sicut infinitum est totius mensuræ expers. Et ideò S. Thomas 3. *part. quæst.* 7. *art.* 11. ait: *Videtur, quòd gratia Christi sit infinita. Omne enim immensum est infinitum: sed gratia Christi est immensa; dicitur enim* 103

Idem est immensum ac infinitum.

S. Thom.

enim Ioan.3. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum filio. Quam terminorum notionem retinet in responsione ad argumentum, & ibidem *in corp.* ait, gratiam in esse gratiæ esse infinitam, & probat: *Quia non datur ei secundùm aliquam certam mensuram id, quod ad rationem gratiæ pertinet.* Et Doctores communiter pro eodem vsurpant finitum, & mensuratum; vnde idem quoque debet esse infinitum, & immensum. Vide verba S.Bonauenturæ suprà citata, §.4.

104 *S. Damasc.* S.Ioannes Damascenus apertè asserit, hanc infinitatem *orat. de dormit. Virginis*, his verbis: *Infinitum tamen Dei seruorum, ac Matris discrimen est.* Vbi cùm seruos Dei cum Matre comparat, in sanctitate intelligitur: hæc enim sola est, quæ seruos Dei euehit. Cùm ergo infinita distantia detur inter illorum, & istius sanctitatem, apertè colligitur, sanctitatem B. Virginis infinitam esse. Et *orat. 2. de dormit. Virg.* ait: *Virgo vita thesaurus, gratiæ abyssus immensa.*

105 *S.Epiph.* S.Epiphanius *serm. de Laudibus Virg. tom. 2. Biblioth. colum. 33.* ad ea verba, *Gratiâ plena*, simili phrasi vtitur, immediatè subdens: *Gratia Sanctæ Virginis est immensa.* *And.Cret.* Andreas Cretensis *orat. 2. de dormit. Deipara*, ita compellat B.Virginem: *Fons, qui non potest exhauriri diuinarum illuminationum.* Hoc autem est epithetum rei infinitæ, scilicet quòd sit inexhauribilis; quidquid enim finitum est, exhauribile dicitur. Eodem modo loquitur B.Petrus *Pet. Dam.* Damianus *serm. de Assumpt.* ibi: *Sic vtramque natu*

naturam Virgo singularis exsuperat immensitate gratia. Et meritò, cùm alibi dixerit, vt citaui §.78. impossibilem esse meliorem sanctificationis modum, quàm est in B. Virgine. Similiter Eusebius Emissenus *in c.1. Luc.* ait: *Aliis enim ad mensuram datur; hac autem gratiâ plena dicitur.* Vbi plenitudinem gratiæ B. Virginis contraponit mensuræ, sub qua cæteris creaturis data est. Et sensus est, cæteris gratiam datam esse ad mensuram; Virgini autem absque omni mensura, & ideo fuisse plenam. Vide infrà, §.120. Adamum Brouuerum, qui ex dicto Eusebij infert gratiæ immensitatem. *Emissenus.* *Brouver.*

106 Similiter loquitur sæpius S. Ildephonsus. Nam *serm. 2. de Assumpt.* ait: *Vnde quantum debemus, quia non possumus* (scilicet venerari) *implorandus est Spiritus Sanctus, qui eam repleuit, & ornauit immensis largitatis suæ muneribus.* Et *serm. 3. de Assumpt. Vnde fratres, admiratio illa Angelica, non de Virginitate sola, quæ fuit singularis in Maria, sed de immensitate gratiæ venit.* Et alibi frequenter. *S. Ildeph.*

107 S. Bonauentura, qui tam clarè admittit in B. Virgine totam gratiam possibilem in pura creatura, non est mirum, quòd sæpe illam appellet immensam. Ita *in Speculo, lect. 1.* fine: *Propter gratiæ affluentiam, & immensitatem meritò gratiâ plena commemoratur.* Et *lect. 6. §. Considerate,* ait: *Priuilegium, inquam, immensis gratiis esse plenam, soli Mariæ à Deo concessum.* Et *lect. 5.* ex professo tractat, & probat hoc dictum: *Immensa certè fuit gratia,* *S. Bonau.*

quâ

quâ ipsa fuit plena. Cuius contextum integrum dabimus §.140. ex quo clariùs hæc infinitudo deprehenditur.

108 *Albert.* Albertus Magnus *lib. de laudib. Virg.cap.* 231. ſtatuit & probat hanc infinitudinem, agens de fructu ventris B. Virginis : *Omnis enim arbor ex fructu ſuo cognoſcitur. Vnde ſi bonitas fructus bonificat arborem ; infinita bonitas in fructu infinitam, quantum ad hoc, oſtendit in arbore bonitatem.* Vt iam non liceat de mente Alberti dubitare, qui verbis §.39. citatis, hanc B. Virginis bonitatem eſſe ſummam ſub Deo intelligibilem profitetur. Nec minùs clarè id aſſerit *cap.* 116. vbi ait : *Quòd enim Beatiſſima Virgo dederit dilectiſſimam animam, eſt manifeſtum : ipſa enim in infinitum plus dilexit animam, id eſt, vitam filij ſui, quàm B.Petrus vitam, & animam ſui ipſius.* Et poſt pauca : *Et ſic B.Virgo dedit animam in infinitum plùs dilectam, & pretioſam, quàm aliquis Sanctorum.* Nam quamuis hîc loquatur de actu dilectionis, eadem tamen eſt ratio de habitu.

109. Idem Albertus *lib. de laudib. Virg.* per capita pluſquàm quinquaginta ſæpiſſimè repetit, virtutes, dona Spiritus Sancti, & fructus, Beatitudines, gratiam, charitatem, &c. his omnibus ſingulatim enumeratis, eſſe in B.Virgine *improportionabiliter* maiora, quàm in qualibet alia pura creatura. Iſtum autem terminum *improportionabiliter*, idem eſſe apud Albertum, atque *infinitè*, patet præcipuè *ex cap.* 116, vbi illis promiſcuè vtitur, eandem ſenten

ſententiam repetens, ſola mutatione alterius ex illis. Primò enim agens de oblatione, quâ obtulit filium in mortem, ait: *B. Virgo dedit animam infinitùm plùs dilectam, & pretioſam quàm aliquis Sanctorum: ergo habebit in infinitum pretioſiorem aureolam, quàm aliquis Sãctorum.* Deinde affert aliam probationem ad eandem concluſionem eliciendam, & ait: *Improportionabiliter plus dedit in merito: ergo improportionabiliter plùs accepit in præmio.* Ecce eandem concluſionem eo termino, *improportionabiliter*, in locum termini, *infinitè*, ſubſtituto.

Deinde loquens de dolore, quem habuit B Virgo tempore crucifixionis, aſſerenſque illum procedere a gratia, & charitate B. Virginis, ait: *Vbi ergo improportionabilis amor, ibi improportionabilis dolor.* Ex qua propoſitione ampliùs confirmata infert: *Ergo in infinitum erat maior dolor B. Virginis, quàm dolor aliorum.* Quæ conſequentia non rectè inferretur, ſi non eſſet idem improportionabile, & infinitum. Cui vſurpationi fauet ipſa nominis ſignificatio. Etenim inter duos numeros finitos ſemper eſt inuenire proportionem dupli, quadrupli, centupli, &c. Et ſolùm proportione carent finitus, & infinitus numerus. Vnde vt numerus graduum intenſionis ſit improportionabiliter maior numero finito, ille debet eſſe infinitus.

Albinus Alcuinus *ſerm. de Natiuit. B. Mariæ, tom. 1. Biblioth. Virgin.* eandem gratiæ in- 110 *Alcuinus.*
finitatem ſatis indicat his verbis: *Hæc eſt vni-*

85 Idem satis expressè dixit Cardinalis Ioannes Vitalis *in Speculo morali*, verbo *B. Maria*, vbi ait: *Virgo Maria plena fuit gratiâ, & deuotione, quam anima eius potuit capere.*

Vitalis.

86 Huc vocandi sunt illi Patres, & Doctores, qui omnem gratiam generaliter datam fuisse docent B.Virgini. Quod in rigore de omni possibili debet intelligi, cùm non sit verè omnis gratia, cui aliqua pars, aut aliqui gradus desint. Maximè cùm ex dictis constet, Patres, & veteres Doctores B. Virgini concessisse omnem gratiam possibilem in pura creatura; nam eodem modo intelligendi sunt, qui generaliter omnem concedunt. Ita S.Athanasius *serm.de Deipara*, inquiens. *Ex te prodiit Deus noster, omnem tibi largiens gratiam.* Andreas Cretensis *orat. 2. de dormitione Deiparæ*: ait, *Omnis sanctitatis sanctissime Thesaure.* S. Bonauent. *in Spec. lect. 3.* ibi: *Quid mirum, si omnis gratia in Mariam confluxit?* S.Methodius citandus infrà, §. 250. *Omnem Matri & gratiam, & honorem impendit.* S. Anselmus *de Excell. Virg. cap. 5.* ait: *In quam fluxit supereminens gratia omnium gratiarum.* S.Gregorius Neocæsar. *serm. 1. de Annuntiat.* hæc habet: *Quoniam cum ipsa totus gratiæ Thesaurus reconditus erat.* Et deinde addit: *Verè enim arca est sanctissima Virgo intrinsecùs, & extrinsecùs deaurata, quæ vniuersum sanctificationis Thesaurum suscepit.* Neque intelligitur is Thesaurus sanctificationis de Christo Domino, sed de sanctitate Virgini inhærente; cùm referatur ad hoc, quòd fuerit intrinsecus, & extrinsecus deaurata.

S. Athan. And. Cret. S. Bonau. S. Method. S. Anselm. Neocæs.

S.Augustinus in *Magnificat*, initio (extat *tom. 3. Biblioth. Virgin.*) ait: *Statim adueniente Spiritu Sancto in Virginem, omni gratia virtutum sacrosanctum habitaculum, in aduentu Dei, implente.* S. Ildephonsus *in Corona B. Virginis, cap.* 7. sic asserit: *Omnibus Thesauris gratia decoratur.* Et *cap.* 10. sic: *Cui fortiter adhæsit totius sanctitatis gratia, & charisma.* Et *cap.* 17. sic: *Totius sanctitatis magnificaris ornatu.* Quod etiam repetit *cap.* 20. S.Cyprianus (apud Alanum proximè citandum, *serm. 3. Omni iustitiâ plenissima.* Quibus similia in Patribus passim reperies. Et in Reuelationibus venerabilis Amadei, *raptu* 5. in Psalmo, quem cecinerunt Angeli in Incarnatione, dicitur: *Impleta est Mater omni gratiâ.* 87

S. August. *S. Ildeph.* *S. Cyprian.* *Amadeus.*

Huc etiam vocandi sunt Doctores asserentes, sanctitatem B. Virginis esse immediatam sanctitati Diuinæ, aut esse maximam post Diuinam. Hac enim dicendi formâ satis declarant, esse maximam suprà quamlibet puram creaturam possibilem. Ita enim loquitur Andreas Cretensis *orat. 2. de dormit. Deip.* ibi: *Quæ, excepto Deo solo, es omnibus altior.* Et S. Antoninus suprà citatus, §. 42. Ægidius Romanus in expositione Salutationis Angelicæ, & in significatione nominis *Maria*, ait: *In eo, quòd Maria interpretatur illuminata, intelligitur abundantia luminositatis in ea, hoc est, quia ipsa est lux immediata ipsi summæ, & æternæ luci. Et rationabiliter debet credi* (ecce declarat, quid sit esse immediatam æter- 88

And. Cret. *S. Anton.* *Ægidius.*

næ luci) *quod sit lux dignior, purior, pulchrior, & abundantior, quàm de quacumque alia creatura dici possit.* Alanus Varenius *serm. 1. de Deip.* ait: *Vertice summum cœlorum contingens, & ad Diuinitatem vsque perueniens.* Et *serm. 2.* sic: *Plusquàm Angelico candore illuminans, vt post Agnum immaculatum, & filium suum electum ex millibus sit ipsa in cœlesti curia lucerna.* Sed & S. Gregorius Magnus verbis relatis infrà, §. 242. & Nicolaus Sanderus §. 90.

Alanus. S. Gregor.

CAPVT VI.

Doctores Recentiores, qui eandem conclusionem tuentur.

89 Salmeron. EX Recentioribus Scriptoribus non desunt, qui B. Virgini concedant omnem gratiam possibilem in pura creatura. P. Alphonsus Salmeron *tom. 3. in Euangelia, tract. 5. §. Obiiciunt hæretici.* Id expressè tradidit: *Maria verò illi (scilicet Christo) proxima, ac singulariter coniuncta, plena dicitur gratiâ, quantam Matrem Messiæ habere decebat, quantumque pura creatura poterat esse capax.*

90 Sanderus. Nicolaus Sanderus fauet huic conclusioni *lib. 6. de Claue Dauid, §. Angeli quidem, pag. mihi 372.* sic: *Nulla etiam persona post sanctissimam Trinitatem cum Maria est vllo*

modo

modo conferenda. Hæc enim singularem inuenit gratiam apud Deum, vt illius admirandi operis cooperatrix, & velut adiutrix fieret. Cuius sensus est, Beatam Virginem, propter singularem gratiam, quam inuenit apud Deum, superiorem esse omni personâ, exceptis personis Sanctissimæ Trinitatis. Et quidem si non diceret, *Post Sanctissimam Trinitatem*, possemus intelligere de personis dumtaxat existentibus: cæterùm cùm solùm excludat Sanctissimam Trinitatem, ad possibiles etiam extendendum videtur. Et paulò ante, §. *Qui nouit*, clariùs adhuc dixit, non posse vllam fœminam esse maiorem; eiusque filium illi tribuisse omnem spiritualem honorem, cuius ipsa fuit capax, idque in summo gradu: cuius verba formalia habentur infrà, §. 242.

Chrysostomus à Visitatione *tom.* 1. *lib.* 2. *de verbis Dominæ ad Angelum*, *cap.* 8. affert verba S. Bonauenturæ, & S. Bernardi, quæ suprà dedimus, §. 71. in quibus, vt ostendimus, hi duo Patres profitentur, esse non posse maiorem, aut sanctiorem creaturam B. Virgine; quos ipse ita explicat, & intelligit. Ex qua doctrina ita colligit, non potuisse existere in B. Virgine gratiam, & perfectionem maiorem; vt colligat etiam, ne vnam quidem virtutem potuisse in ea esse maiorem, & perfectiorem; alioqui iam maior, & perfectior esse posset, si vna solum virtus maiorem capere potuisset intensionem. Ea sunt illius verba: *Ex his horum Patrum sententiis inferri optimè potest, omnes in Maria virtutes sic æquales,* 91 *Chrysost. à Visit.*

& summè perfectas fuisse, vt earum nulla neq maior, nec minor aliis existeret. Quomodò enim maiorem Mariam Deus facere non posset, sicut dicit D. Bonauentura; & quomodò etiam maior inter matres nasci non potuisset, sicut inquit D. Bernardus, si in illa maior, vel minor virtus vlla dari posset? Etenim in ea, quæ adeò perfecta à Deo effecta est, nihil fuit, nec maius, nec minus. Alioquin si concedamus, quòd in Virgine daretur virtus alia virtute minor, opus est, vt etiam concedamus, Deum virtutem ipsam, quæ in ea, aliâ virtute minor existebat, ita potuisse intendere, vt maiori virtuti adæquaretur. Ex quo sanè facto apertissimè quidem sequeretur, quod saltem secundum hanc virtutem, maior Maria efficeretur, quàm antea esset; & ex consequenti, quòd non ita perfecta esset, quin maiorem illa facere posset: quod non est concedendum. Ecce quomodo Author quasi absurdum reputat, quòd sanctitas, & virtutes B. Virginis non habuerint totam intensionem possibilem.

92 Ponte. P. Ludouicus de Ponte *in Cantica lib. 1. exhort. 6. initio*, in eandem sententiam ita scribit: *Noua vtriusque sanctitas, ac dignitas, quia in viro est Deo æqualis; in fœmina verò, quia nulla maior sub Deo potest intelligi.* Et ibidem, §. 3. secutus Anselmum, & Hieronymum suprà citatos, ait: *Nam teste D. Anselmo, decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi: decuit etiam ea sanctitate, ac plenitudine gratiæ fulgere, quâ maior sub Christo non valet inueniri. Nam, vt dixit D.*

Hierony

Hieronymus: Bene gratiâ plena, quia cæteris per partes præstatur, Maria verò se tota simul infudit gratiæ plenitudo. Quod vlteriùs repetit ibidem, §. *Hinc fortè.*

P. Benedictus Fernandez *tom.* 1. *in Genes. cap.* 14. *sect.* 7. *num.* 1. breuibus, sed expressis terminis assertioni subscribit: *Nihil*, inquit, *sublimius, atque sanctius post Deum aut esse, aut fingi potest, quàm ipsa Dei Mater.* Quod si non haberet omnem gratiam possibilem, aliqua creatura possibilis sanctior posset cogitari. 93 *Fernand.*

Ludouicus Granatensis apertè fauet nostræ sententiæ *serm.* 2. *de Natiu. B. Mariæ, n.* 33, vbi ita ait: *Sicut enim nulla post Deum dignitas Dei Genitrice maior; ita nulla sanctitatis prærogatiuâ sublimior.* Illum autem loqui de possibili, constat: nam *serm. de Annuntiat. n.* 33. dixerat: *Hac tanta dignitate, quâ nulla post sacram Christi humanitatem maior excogitari potest, &c. Ita* etiam *nulla sanctitatis prærogatiuâ sublimior*, scilicet excogitari potest: cùm vtramque dignitatem æquiparet. 94 *Lud. Gran.*

Hieronymus de Ormachea *in cap.* 1. *Canticorum, vers.* 1. *num.* 366. id apertè asseruit (cuius verba commodiùs dabimus cap. sequenti) præcipuè in illis vltimis verbis: *Quin, vt considerat D. Bonauentura, qui dicit plenitudinem, dicit omne possibile.* Et P. Ioannes Osforio verbis infrà citandis, §. 129. 95 *Ormachea.* *Osforio.*

Adamus Brouuerus *tract. de Salutatione Angelica, cap.* 1. *quæst.* 17. (extat *tom.* 1. *Biblioth. Virgin.*) vbi agens de dignitate Matris, 96 *Brouuer.*

& de plenitudine gratiæ ipsi conueniente, ait: *Habent itaque hæc quandam infinitatem. Ac ideò decuit (teste Anselmo lib.de Conceptu Virginali) vt Mater Dei eâ puritate (quæ gratiam designat) niteret, quâ sub Deo maior intelligi nequeat.* Et *quæst.*18.ait: *Sexta plenitudo nominatur gratiæ totalis, iuxta modum loquendi S.Hieronymi, aut Sophronij serm.de Assumpt. Cæteris sanctis gratia præstatur per partes; Mariæ verò tota se infudit gratiæ plenitudo.*

97 Salo. Alexius à Salo in arte amandi Deiparam, *priuileg.5.condit.4.tom.1.Biblioth.Virgin.* ait: *Priua ea gratia soli Deiparæ concessa fuit, sola virgo eâ puritate potuit gloriari, quâ sub Deo maior nequit intelligi.* Et quòd id ita intelligat de puritate positiua gratiæ, & sanctitatis, constat ex declaratione primæ stellæ coronæ B. Virginis, vbi sic ait: *Nam omni dubio procul, vt eò honoris prouecta est, quo maiorem creatura nulla possit adipisci; sic illi tantum gratiæ ac sanctitatis diuinitus collatum est, quo maior non potest mera creaturæ conferri.* Idem repetit *priuil.5.condit.3.* Et in declaratione stellæ 6. agens de plenitudine gratiæ, quæ Stephano, & aliis Sanctis tribuitur, subdit: *Cùm verò Angelus Virginem saluere iussit, vocans eam gratia plenam, de plenitudine longè aliâ & vberiore, singulari atque excellentiore loquebatur, adeóque ampla, vt in quamcunque meram creaturam aliam à Maria cadere non possit.*

98 Alb.Marq. Albertus de Marquesiis *in Cæliloquio morali, lib.6.cap.56.tom.3.Biblioth.Virgin.* cùm S. Bona

Bonauentura ſuprà citato, à quo verba mutuare videtur, aſſerit: *Si loquamur quantùm ad gratiam iuſtificationis, tantam habuit, quantam creatura pura humana, ſiue rationalis, quæ facta ſit capere potuit.*

Angelus de Pace, aliàs de Paſſu, ſuper *Miſſus eſt*, c. 25. ad ea verba, *Gratiâ plena, tom. 3. Biblioth. Virgin.* ait: *Es quippe gratiâ illâ plena; quòd fauores reliquos ſuperat, & ſubleuat te ad omnem excellentiam, quæ cùm in cælis, tum in terris appeti poteſt, aut concedi.* In quo cum dicto Anſelmi coincidit: nam quod poteſt intelligi, & quod poteſt appeti, conuertibilia ſunt. Et ibidem ad ea verba, *Dominus tecum*, ait: *Denique quia Dominus tecum, non aliud quidpiam (perorat Chryſoſtomus orat. in Hypapant. Domini) inter creatas res viſibiles, aut inuiſibiles vnâ hac maius, aut excellentius inueniri poteſt.* 99 **Angelus de Pace.**

Tandem illi magnoperè fauent aſſerta Salmanticenſia propugnata à P. Ioanne Barbiano; nam in aſſerto 2. dicitur, B. Virgini tantùm gratiarum, & donorum collatum fuiſſe, quantùm poſſibile fuit. Item nullam fuiſſe menſuram donorum gratiæ B. Virginis, niſi ſolam Dei Omnipotentiam. Aſſerti verba referuntur §. 262. 100 **Barbian.**

CAP. VII.

Patres, & Doctores adstruentes gratiam B. Virginis infinitam, & immensam.

101 TEstimonia Doctorum, qui gratiam B. Virginis infinitam, & immensam appellant, non magni facerem, si illis dumtaxat niteretur nostra conclusio; possent enim reputari tanquam quid hyperbolicum, magis ex affectu laudantium profectum, quàm ad rigorosam doctrinæ trutinam libratum. Sed cùm ex dictis constet, esse commune placitum sanctorum Patrum, & Scriptorum, quòd B. Virgo omni sanctitate, & gratia habituali possibili in pura creatura prædita sit; non potest reputari hyperbolicum, sed potiùs ineluctabili consequentiæ nexu deductum, quòd ea gratia dicatur infinita, sicut non est hyperbolicum asserere, quòd tota gratia possibilis sit simpliciter infinita. Iam ergo in hac secunda classe refero Doctores asserentes, gratiam, & sanctitatem B. Virginis esse infinitam.

102 *S. Anselm.* Vidimus *disput. præcedenti*, §.5. S. Anselmum docuisse, Maternitatem Dei esse summam dignitatem possibilem. Item *in hac disput.* §.34. B. Virginem habere omnem sanctitatem, quæ sub Deo potest intelligi. Consequenter

quenter ergo eam ſanctitatem B. Virginis appellat immenſam; tum variis in locis, tum præcipuè *lib. de Excellentia Virginis, cap.* 8. in hæc verba: *Quid amplius dicere poſſum, Domina? Immenſitatem quippe gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tuæ conſiderare incipienti, & ſenſus deficit, & lingua fatiſcit.* Et *cap.* 3. loquens de amore amicitiæ, quo Deus proſequitur B. Virginem (qui amor eſt menſura, & radix omnis ſanctitatis) immenſum vocat his verbis: *Nullus hominum, vel Angelorum penetrare poteſt immenſitatem Diuini amoris erga Virginem.* Plenus eſt Anſelmus hac loquendi forma, quoties de gratia, & virtutibus B. Virginis loquitur. Nec patitur ipſe S. Doctor, quòd exiſtimemus, id potius ex affectu laudandi, quàm ex deſiderio veritatis proficiſci; nam præter ea, quæ initio capitis in hanc rem dicta ſunt, ipſe Anſelmus *cap.* 9. hunc interpretandi modum nobis prohibet: *Ne tamen aliquis eorum nimis inſolens autumet nos magis more laudantium iſta dicere, quàm rem, ſicut eſt, conſiderare.* Cùm ergo B. Anſelmus immenſam vocat gratiam Deiparæ, vtique *rem ſicut eſt, conſiderat.*

Quòd autem immenſum ſit idem, quod infinitum, manifeſtò liquet. Immenſum enim eſt illud, quod omni menſura caret; at finitum menſuræ capax eſt, ſicut infinitum eſt totius menſuræ expers. Et ideò S. Thomas 3. *part. quæſt.* 7. *art.* 11. ait: *Videtur, quòd gratia Chriſti ſit infinita. Omne enim immenſum eſt infinitum: ſed gratia Chriſti eſt immenſa; dicitur* 103 *Idem eſt immenſum ac infinitum.* *S. Thom.*

enim

enim Ioan.3. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum filio. Quam terminorum notionem retinet in responsione ad argumentum, & ibidem *in corp.* ait, gratiam in esse gratiæ esse infinitam, & probat: *Quia non datur ei secundùm aliquam certam mensuram id, quod ad rationem gratiæ pertinet.* Et Doctores communiter pro eodem vsurpant finitum, & mensuratum; vnde idem quoque debet esse infinitum, & immensum. Vide verba S. Bonauenturæ suprà citata, §.4.

104 S. Damasc. S. Ioannes Damascenus apertè asserit, hanc infinitatem *orat. de dormit. Virginis*, his verbis: *Infinitum tamen Dei seruorum, ac Matris discrimen est.* Vbi cùm seruos Dei cum Matre comparat, in sanctitate intelligitur: hæc enim sola est, quæ seruos Dei euehit. Cùm ergo infinita distantia detur inter illorum, & istius sanctitatem, apertè colligitur, sanctitatem B. Virginis infinitam esse. Et *orat. 2. de dormit. Virg.* ait: *Virgo vitæ thesaurus, gratiæ abyssus immensa.*

105 S. Epiph. S. Epiphanius *serm. de Laudibus Virg. tom. 2. Biblioth. colum. 33.* ad ea verba, *Gratiâ plena*, simili phrasi vtitur, immediatè subdens: *Gratia Sanctæ Virginis est immensa.* And. Cret. Andreas Cretensis *orat. 2. de dormit. Deiparæ*, ita compellat B. Virginem: *Fons, qui non potest exhauriri diuinarum illuminationum.* Hoc autem est epithetum rei infinitæ, scilicet quòd sit inexhauribilis; quidquid enim finitum est, exhauribile dicitur. Eodem modo loquitur B. Petrus Pet. Dam. Damianus *serm. de Assumpt.* ibi: *Sic vtramque*

natu

naturam Virgo singularis exsuperat immensitate gratiæ. Et meritò, cùm alibi dixerit, vt citaui §.78. impossibilem esse meliorem sanctificationis modum, quàm est in B. Virgine. Similiter Eusebius Emissenus *in c. 1. Luc.* ait: *Aliis enim ad mensuram datur; hæc autem gratiâ plena dicitur.* Vbi plenitudinem gratiæ B. Virginis contraponit mensuræ, sub qua cæteris creaturis data est. Et sensus est, cæteris gratiam datam esse ad mensuram; Virgini autem absque omni mensura, & ideo fuisse plenam. Vide infrà, §. 120. Adamum Brouuerum, qui ex dicto Eusebij infert gratiæ immensitatem. *Emissenus.* *Brouuer.*

106 Similiter loquitur sæpius S. Ildephonsus. Nam *serm. 2. de Assumpt.* ait: *Vnde quantum debemus, quia non possumus* (scilicet venerari) *implorandus est Spiritus Sanctus, qui eam repleuit, & ornauit immensis largitatis suæ muneribus.* Et *serm. 3. de Assumpt. Vnde fratres, admiratio illa Angelica, non de Virginitate sola, quæ fuit singularis in Maria, sed de immensitate gratiæ venit.* Et alibi frequenter. *S. Ildeph.*

107 S. Bonauentura, qui tam clarè admittit in B. Virgine totam gratiam possibilem in pura creatura, non est mirum, quòd sæpe illam appellet immensam. Ita *in Speculo, lect. 1.* fine: *Propter gratiæ affluentiam, & immensitatem meritò gratiâ plena commemoratur.* Et *lect. 6. §. Considerate,* ait: *Priuilegium, inquam, immensis gratiis esse plenam, soli Mariæ à Deo concessum.* Et *lect. 5.* ex professo tractat, & probat hoc dictum: *Immensa certè fuit gratia,* *S. Bonau.*

quâ

quâ ipsa fuit plena. Cuius contextum integrum dabimus §. 140. ex quo clariùs hæc infinitudo deprehenditur.

108 *Albert.* Albertus Magnus *lib. de laudib. Virg. cap.* 231. statuit & probat hanc infinitudinem, agens de fructu ventris B. Virginis: *Omnis enim arbor ex fructu suo cognoscitur. Vnde si bonitas fructus bonificat arborem; infinita bonitas in fructu infinitam, quantum ad hoc, ostendit in arbore bonitatem.* Vt iam non liceat de mente Alberti dubitare, qui verbis §. 39. citatis, hanc B. Virginis bonitatem esse summam sub Deo intelligibilem profitetur. Nec minùs clarè id asserit *cap.* 116. vbi ait: *Quòd enim Beatissima Virgo dederit dilectissimam animam, est manifestum: ipsa enim in infinitum plus dilexit animam, id est, vitam filij sui, quàm B. Petrus vitam, & animam sui ipsius.* Et post pauca: *Et sic B. Virgo dedit animam in infinitum plùs dilectam, & pretiosam, quàm aliquis Sanctorum.* Nam quamuis hîc loquatur de actu dilectionis, eadem tamen est ratio de habitu.

109 Idem Albertus *lib. de laudib. Virg.* per capita plusquàm quinquaginta sæpissimè repetit, virtutes, dona Spiritus Sancti, & fructus, Beatitudines, gratiam, charitatem, &c. his omnibus singulatim enumeratis, esse in B. Virgine *improportionabiliter* maiora, quàm in qualibet alia pura creatura. Istum autem terminum *improportionabiliter*, idem esse apud Albertum, atque *infinitè*, patet præcipuè *ex cap.* 116. vbi illis promiscuè vtitur, eandem senten-

ſententiam repetens, ſola mutatione alterius ex illis. Primò enim agens de oblatione, quâ obtulit filium in mortem, ait: *B. Virgo dedit animam infinitùm plùs dilectam, & pretioſam quàm aliquis Sanctorum: ergo habebit in infinitum pretioſiorem aureolam, quàm aliquis Sãctorum.* Deinde affert aliam probationem ad eandem concluſionem eliciendam, & ait: *Improportionabiliter plus dedit in merito: ergo improportionabiliter plùs accepit in præmio.* Ecce eandem concluſionem eo termino, *improportionabiliter*, in locum termini, *infinitè*, ſubſtituto.

Deinde loquens de dolore, quem habuit B Virgo tempore crucifixionis, aſſerenſque illum procedere a gratia, & charitate B. Virginis, ait: *Vbi ergo improportionabilis amor, ibi improportionabilis dolor.* Ex qua propoſitione ampliùs confirmata infert: *Ergo in infinitum erat maior dolor B. Virginis, quàm dolor aliorum.* Quæ conſequentia non rectè inferretur, ſi non eſſet idem improportionabile, & infinitum. Cui vſurpationi fauet ipſa nominis ſignificatio. Etenim inter duos numeros finitos ſemper eſt inuenire proportionem dupli, quadrupli, centupli, &c. Et ſolùm proportione carent finitus, & infinitus numerus. Vnde vt numerus graduum intenſionis ſit improportionabiliter maior numero finito, ille debet eſſe infinitus.

Albinus Alcuinus *ſerm. de Natiuit. B. Mariæ, tom. 1. Biblioth. Virgin.* eandem gratiæ infinitatem ſatis indicat his verbis: *Hæc eſt vni-* 116 *Alcuinus.*

ca illa, in qua sola quæsitam in omnibus requiem inuenit: atque in eius sinum omnes thesauros suos absque mensura transfudit. Gratia autem absque mensura quid aliud est, quàm gratia infinita?

111 *Ægidius.* Ægidius Romanus in expositione Salutationis Angelicæ, ad ea verba, *gratiâ plena,* eamdem gratiæ infinitatem B. Virgini concedit illis verbis: *Dicitur gratiâ plena, quia ei data est gratia secundùm totius subiecti capacitatem, non autem ad mensuram, vt datur cæteris ab ea.* Vbi infinitatem significat per hoc, quod data fuerit ei gratia, & non ad mensuram, sicut cæteris; præcipuè cùm ei concedat totam gratiam possibilem, cuius ipsa est capax.

112 *S. Antonius Paduanus.* S. Antonius Paduanus *in Dominicam 5. post Sanctissimam Trinitatem,* asserit, charitatem B. Virginis fuisse infinitam, verbis citatis infrà, §. 294.

113 *Guilielm.* Guilielmus Parisiensis *in Euangelium Visitationis, tom. 3. Biblioth. Virgin.* ad ea verba, *Et benedictus fructus ventris tui,* ait: *Per hoc enim, quòd conceperat Dei filium, contraxerat quodammodo infinitatem bonitatis, in quantum scilicet Mater est bonitatis infinitæ.* Nam quod dixerit, *quodammodo,* non limitat infinitatem intensionis, sed excludit infinitatem perfectionis, siue infinitum per essentiam, quæ propria est solus Dei, vt & in aliis Doctoribus notaui. Quod in hoc Authore planum est, qui *in Vigilia Assumptionis, quæst. 19.* concedit dignitatem Matris infinitam absolutè

lutè,& fummam poſſibilem, vt patet *ex diſput. præcedenti*, §.28.

114 Amadeus in ſuis reuelationibus, *Raptu* 8. refert, B. Matthæum, qui cum cæteris Apoſtolis conuenerat ad obitum B. Virginis, dixiſſe: *Tranſiuimus, & iterum tranſibimus ad gentes, annunciare immenſa dona à Donatore omnium tibi, ô Maria, collata.* *Amadeus. S. Matth.*

115 Ambroſius Spiera *ſerm.* 4. *conſider.* 3. *concluſ.* 2. plenitudinem B. Virginis *diuinarum gratiarum immenſitatem* appellat. *Spiera.*

116 Daniel Agricola *in ſtellâ* 4. *coronæ* 8. immenſurabilem appellat B. Virginis ſpiritualem pulchritudinem, ad ea verba Cant. 7. *Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima!* Ait enim: *Geminatur nomen pulchritudinis, deſignaturque quòd ipſa mirabiliter, & inæſtimabiliter, & immenſurabiliter pulchra eſt, & decora.* *Agricola.*

117 Alanus Varenius *ſerm.* 1. *de Deipara*, B. Virginem vocat hortum *circumvallatum infinito diuinarum rationum, & dignitatum agmine.* Et *ſerm.* 2. *colum.* 3. ait: *Totum illum, nempè vterum, obumbrauerat, ſed immenſo lumine.* Et paulò poſt: *Immenſa, atque incomparabili efferuens charitate.* Et *ſerm.* 3. *colum.* 4. ait: *Infinitarum Virginis immaculatæ virtutum, dignitatum, proprietatumque.* Similia habet *ſerm.*4.*colum.*2. *Alanus.*

118 Sanctus Bernardinus Senenſis virtutes B. Virginis (quæ non ſuperant intenſione gratiam habitualem) ſæpè infinitas vocat, & immenſas, *tom.*4.*ſerm.*45.*part.*2.*fructu* 12. in *S. Bernard.*

hæc verba: *Amor suus, quem ipsa portabat Christo eius vnigenito filio, erat infinitus.* Et *serm. 1. de nomine Mariæ, art. 1. cap. 2.* cùm dixisset: *Secundùm mensuram gratiæ est mensura gratuiti amoris.* Sic explicat eius amoris magnitudinem: *Superat quippe etiam omnium creaturarum amores, atque dulcedines magnitudo amoris Virginis in filium suum, & dilectionis immensitas, quâ liquefiebat anima eius in eo.* Et multis aliis in locis.

119 *Fernand. Osforio.* Ex Recentioribus P. Benedictus Fernandez hanc gratiam B. Virginis asserit, & probat esse infinitam verbis, quæ infrà referemus, §. 128. P. Ioannes Osforio asserit etiam, & disertè probat, gratiam sanctificantem B. Virginis esse infinitam. Cuius verba referuntur §. 129.

120 *Brouuer.* Adamus Brouuerus *tractat. de Salutatione Angelica, cap. 1. quæst. 18. tom. 1. Biblioth. Virgin.* ait: *Octaua vocari potest plenitudo immensa. Sumitur ex Eusebio in Euangelium de Annunciatione. Quis vnquam, inquit, tantam gratiam habuit, quantam Maria Virgo? Aliis enim ad mensuram datur; hæc autem gratiâ plena dicitur.*

121 *Salo.* Alexius à Salo in arte amandi Deiparam (qui gratiam B. Virginis summam possibilem in pura creatura asseruit) *cap. 4.* illam vocat immensam, & infinitam, vt constat ex infrà dicendis, §. 295. Et in declaratione stellæ 6. agens de iis gratiis, & virtutibus, quas in Incarnatione accepit, ait: *Infinita illa sunt, & eiusmodi, vt non magis ab Angelis, quàm ab hominibus*

minibus capi possint, aut dici pro dignitate.

In assertis Salmanticensibus P. Ioannis Barbiani, *assert.* 3. sic habetur: *Ex terminis, inquam, Matris Dei, cuius dignitatem infinitam simpliciter agnoscimus; & omnia possibilia dona æquo iure deposcere arbitramur.* Quæ verba, *æquo iure*, idem sunt, ac æquali gradu: quod idem est, ac dicere, ea esse in gradu infinito. Et *in assert.* 6. sic: *Infinitam illam, quantum fas est, gratiæ, & gloriæ plenitudinem, aliorumque omnium possibilium donorum, quam diximus, abyssum*, &c. Et *in assert.* 2. donorum gratiæ B. Virginis non aliam mensuram assignandam esse ait, quàm diuinam omnipotentiam. Verba referuntur infrà, §. 262. Hoc autem quid est, nisi illa esse infinita, vtpotè in se carentia termino, & mensurâ? 122 *Barbianus.*

Hieronymus de Ormachea *in cap.* 1. *Cant. vers.* 1. *num.* 366. dilucidè id asserit his verbis: *Sicut dignitas dignitatum Maternitatis Dei, ad quam eleuata est Maria, fuit immensa, infinita, illimitata, & incomprehensibilis; ita & gratia, quâ disposita fuit, & præuenta ad talem dignitatem, genus quoddam illimitationis, infinitatis & incomprehensibilitatis debuit obtinere.* Quod deinde probat ex plenitudine gratiæ, & superuentione Spiritus Sancti, quam annunciat Angelus. Et addit: *Quia vt considerat D. Bonauentura, qui dicit plenitudinem, dicit omne possibile.* 123 *Ormachea.*

Huc vocandus est P. Franciscus Suarez, qui ferè asseruit hanc conclusionem. Licèt enim non concesserit gratiam simpliciter in- 124 *Suarez.*

finitam; admisit tamen, quòd si hæc gratia infinitè intensa daretur in B. Virgine, *Nunquam excederet terminos, aut debitam proportionem illius dignitatis*; scilicet Maternitatis Dei. Vt retuli *disput.præced.* §.47. Quod quantùm faueat huic sententiæ, videant viri docti. Quod à Suario haustum eisdem terminis asseruit Rutilius Benzonius, vt etiam retuli *disp.præced.*§.49.

Bzonius.

125 *Ripalda.* Vocari etiam potest in patrocinium huius sententiæ P.Ripalda *disp.*79. *de Ente supernat. num.* 118. Nam cùm sibi obiiceret: *Vt peccata nostra merentur de condigno pœnam simpliciter infinitam, & priuationem omnis gratiæ, & gloriæ possibilis*; *ita Virginis merita fore condigna præmio simpliciter infinito, & retributione omnis gratiæ habitualis, & gloriæ possibilis.* Respondet: *Secundò alicui fortè videbitur non absurda, & improbabilis consequentia, sed conformis Doctrinæ Patrum, quæ dignitatem Matris Dei sonat infinitam, & immensam, capacemque omnis gratiæ, & gloriæ possibilis syncategorematicè.* Itaque quamvis non concedat gratiam, & gloriam categorematicè infinitam, inclinat tamen ad concedendum, infinitam gratiam, & gloriam, imò totam possibilem, esse debitam B. Virgini, tum titulo dignitatis Matris Dei, tum ex meritis à tali dignitate dignificatis. Præcipuè cùm concedat B. Virgini totam sanctitatem possibilem infra Deum, licèt non prouenientem formaliter à gratia habituali, sed à dignitate Matris. Quod quantùm faueat nostræ sententiæ, perspicuum est.

CAPVT VIII.

Primum argumentum desumptum ex dignitate Matris Dei.

IAm verò rationibus roboranda est assertio nostra, quæ quidem duabus constat partibus; & quòd gratia habitualis B. Virginis sit infinitè intensa,& quòd sit summa possibilis in pura creatura. Conabimur autem, quòd rationes à nobis instruendæ vtramque simul partem amplectantur. 126

Igitur prima ratio sit. Dignitati Matris Dei debetur gratia sanctificans, saltem debito congruitatis, & eo modo,quo debetur statui Apostolico,Præcursoris,&c. (nam perfectiori modo deberi Matri Dei, constat *ex disput. præced. à* §. 87. & constabit ex infrà dicendis) Sed hæc gratia illi debita non potest esse finitæ intensionis: ergo debetur gratia infinitè intensa. Probatur Minor: Dignitas Maternitatis, cui hæc gratia debetur, est infinita simpliciter, imò & summa, quæ possibilis est in pura creatura, vt abundè probatum manet *disput. præcedenti:* ergo gratia sibi correspondens non potest esse finitæ intensionis. Probatur consequentia. Inter principium exigens aliquam perfectionem, & perfectionem illi debitam debet intercedere proportio: atqui inter finitum,& infinitum non intercedit 127

Infinitæ dignitati Matris debetur gratia infinita.

tercedit proportio : ergo si dignitas exigens gratiam est infinita, gratiæ intensio non potest esse finita. Et quidem si calori intenso debita esset lux, calori infinito lux infinitæ intensionis debita esset; neque enim haberet sufficientem proportionem lux finita cum calore infinito. Et similiter si frigiditati deberetur albedo; cùm frigiditas esset infinita, albedo etiam in infinitum intensa esse deberet.

128 *Dignitas Matris debet esse mẽsura gratiæ.* Itaque dignitas Maternitatis mensura debet esse, & norma magnitudinis sanctificantis gratiæ existentis in B. Virgine. *Est igitur dignitas Matris Dei prima, & summa regula, per quam metiendum erit quidquid Virgini à Deo collatum credimus. Et quanam obsecro, donorum, & gratiarum ornamenta satis digna esse poterunt, vt infinitam illam Matris Dei maiestatem, si non exornare, saltem illi congruere videantur?* dixit ad rem nostram P. Benedictus *Fernand.* Fernandez *tom. 1. in Genesim, sect. 15. num. 4.* *B. Ildeph.* Quod hausit ex B. Ildephonso, qui non vult, aliunde mensurari magnitudinem gratiæ, & meriti B. Virginis, quàm ex eius Maternitate. Ita enim *serm. 3. de Assumpt.* inquit: *Et ideò apud Dominum quanta pensanda sunt eius merita, vel cogitanda præmia; puto, quòd nemo est, qui ad purum edisserat, nisi qui potest verè perpendere, qualis, vel quanta sit ista gratia, quâ repletur ipsa, per quam venit in mundum Dei Maiestas.* Quam eandem proportionem inter gratiam, & Maternitatem latè

prose

prosequitur Dionysius Richelius *lib.* 1. *de laudib. Virg. cap.* 15. Si ergo gratia sancti- *Richel.*
ficans cum Maternitate commensurari debet, sicut Maternitas est dignitas infinita, & summa possibilis in pura creatura, ita eodem modo gratia sanctificans debet esse infinita, & summa possibilis.

Hunc discursum efficacem putaui, post- 129
quàm vidi, aliis Doctoribus placere, illoque niti, atque impelli ad eandem conclusionem asserendam. Nam P. Ioannes Osforio *tom.* 3. *Osforio.*
concion. 2. *in Natiu. B. Mariæ*, cùm §. *Sed obiicies*, dixisset: *Summa hæc Matris Dei dignitas est planè infinita*; in §. *Hinc Augustinus*, sic eum discursum prosequitur: *Sed vt videas quanta res sit dignitas Mariæ Matris Dei, attende ex illo superiori gratiæ ordine donare Deum cuique secundùm dignitatem, & gradum, ad quem à Deo eleuatur, quia idoneos ille facit ministros. Sic Seraphinis abundantiorem concessit gratiam, deinde Cherubinis, deinde Thronis pro gradus diuersitate. Sic etiam Apostolis supremam concessit gratiam, quia eos primo loco in Ecclesia posuit. Cùm ergo Matri suæ Mariæ gratiam pro dignitatis merito concedere debuerit, summam omnium ei contulit, quia infinita illam decorauit dignitate: dignitas namque Matris Dei infinita est, vnde de ordine gratiæ summa omnium ei concedenda fuit.*

Sed priùs S. Bernardinus conclusionem, & 130
probationem statuit terminis scholasticis pro- *S. Bernar.*
positam, *tom.* 3. *serm.* 6. *de B. Virgine, art.* 3.

cap. 1. sic: *Si etiam decenter, & efficaciter elegit Deus aliquem ad arduum statum, oportet quòd illum moueat secundùm proportionem, & exigentiam arduitatis illius status, ad quem elegit illum, & maximè vbi nulla est rebellio, & indispositio ex parte mobilis: sed status Maternitatis Dei, ad quem Deus Virginem eligebat, erat summus status, qui pura creatura dari posset: ergo Dei electrix charitas altissimo modo praeuenit, & mouit cor Virginis ad hoc opus. Ergo istud opus altissimè participauit perfectionem, atque influxum, & Deiformem similitudinem electricis amatricis charitatis Dei, à qua manabat.* Ex summo ergo statu possibili, summam motionem, summamque Deiformis similitudinis charitatis Dei participationem colligere fas est.

131 Confirmatur primò. Si gratia Maternitati debita, esset finitæ intensionis, sequeretur, Maternitatem Dei non esse summam dignitatem possibilem, contra ea, quæ *disput. praeced.* probata sunt. Illatio autem est perspicua. Nam maior dignitas esset illa, cui deberetur infinita sanctitas, & etiam omnis sanctitas possibilis (quæ dignitas contradictionem non implicat) quàm hæc dignitas, cui solùm sanctitas finita debeatur, vt ex terminis notum est: non esset ergo hæc summa dignitas possibilis.

Si hæc gratia esset finita, Maternitas nō esset maxima dignitas possibilis.

132 Confirmatur secundò. Tantò maior gratia habitualis admittenda est in B. Virgine, quàm in cæteris creaturis intellectualibus, quantò eas B. Virgo superat dignitate. Quam proposi

Tanta est hæc gratia, quantus est excessus dignitatis su-

propositionem docuit S. Bernardus *serm. de Natiu. B. Mariæ, de Aquæductu*, his verbis: *Magnum est Angelo, vt Minister sit Domini; sed Maria sublimius quiddam meruit, vt sit Mater. Fœcunditas itaque Virginis supereminens gloria est; tantòque excellentior Angelis facta munere singulari, quantò differentius præ ministris nomen Matris accepit.* A quo didicit S. Bernardinus, qui & vberiùs explicauit *tom. 1. serm. 61. art. 2. c. 4.* sic: *Sicut Filius Dei sedet à dextris Maiestatis in excelsis, tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit; quod nomen est, vt sit verè Deus per gratiam vnionis: sic & Mater Domini nostri Iesu gloriosa Maria tantò melior est Angelis effecta, quantò præ omnibus creaturis hæreditauit, vt obtineret dignissimæ Matris nomen.*

præ reliquas creaturas. *S. Bernard.* *S. Bernardin.*

133 Iam verò dignitas B. Virginis infinitè superat dignitates Angelorum, & reliquarum creaturarum; cùm dignitas Maternitatis infinita sit, finitæ verò dignitates reliquæ. Si ergo B. Virgo est *tantò melior Angelis effecta*, & tantò sanctior, quantò eos superat dignitate; apertè concluditur, illam præditam esse sanctitate infinita. Et hoc est, quod dixit S. Ioan. Damascen. citatus suprà, §. 104. *Infinitum Dei seruorum, ac Matris discrimen est.* Idest, sicut adest infinita dignitatis distantia inter Matrem, & seruos; ita, & infinita distantia est excellentiæ, & sanctitatis. Hoc autem discrimen sanctificantis gratiæ inter Matrem, & seruos, desumptum ex mensura status, & dignitatis horum,

Maternitas infinitè superat dignitates creaturarum. *S. Damasc.*

S.Thom. horum, & illius, explicuit S. Thomas agens de plenitudine gratiæ S. Stephani, & B. Virginis, *3.part.quæst.7.art.*10.*ad* 1. inquiens; *Harum tamen plenitudinum vna est plenior alterâ, secundùm quòd aliquis est diuinitus præordinatus ad altiorem vel inferiorem statum.*

CAP. IX.

Secundum argumentum ex authoritate sacræ paginæ petitum.

134 AVthoritas sacræ paginæ primum locum deberet obtinere ad probandam conclusionem nostram; sed quia præcipuus textus, quo illa munienda est, in sui explicatione dependet à primo argumento proximè facto, & id primum argumentum eo testimonio maximè confirmatur; ideò argumentum ab authoritate Scripturæ sacræ desumptum in hunc locum reseruaui.

135 Primus igitur textus, qui & nostram conclusionem roborat,& præcedentem probationem confirmat, desumitur ex verbis Angeli salutantis B. Virginem, *Aue gratiâ plena.* Etenim si B. Virgo non haberet totam gratiam possibilem, cuius capax est pura creatura,non posset cum veritate dici *gratiâ plena.*

Almainus. Quòd egregiè notauit Almainus suprà citatus, §. 83. *Tunc tantam recepit perfectionem,* quan

quantam poterat recipere; aliàs mentitus esset Angelus dicendo, Aue gratiâ plena.

Id quod ita intellexit Albertus Magnus 136
lib. de laudib. Virg. cap. 60. in hæc verba: *Hoc* Albert.
autem quod dico, Gratiâ plena, circumlocutio tantùm est proprij nominis B. Virginis, & personæ ipsius. Quod nulli alij conuenit propriè, nec Deo, nec creaturis, secundùm quod plenitudo gratiæ intelligitur susceptiuè tantùm. Deus enim gratiæ nihil susceptiuè habet. Et nulla alia pura creatura plena est gratiæ susceptiuè, præter B. Virginem, quæ sola tantum recepit, quòd pura creatura plus recipere non potuit. Vnde ei hoc ita proprium fuit, quòd ei Angelus illud pro proprio nomine, hoc est, plenâ gratia, imposuit. Idem omnino asserunt Bernardinus de Busto 5. *part. Marial. serm. 7. de Annun-* Busto.
ciat. in introduct. & Pelbartus *in Stellario,* Pelbart.
lib. 1. part. 3. art. 3. cap. 6. Ecce secundum Albertum, & sectatores eius, eatenus verificatur, esse plenam gratiâ, quatenus omnem intensionem gratiæ possibilem susceptiuè recepit.

Eodem modo intelligunt hanc gratiæ ple- 137
nitudinem, & eodem argumento vtuntur Albert.
idem Albertus citatus supra, §. 39. S. Hierony- S. Hieron.
mus §. 61. Beda §. 59. S. Antoninus §. 42. S. Beda.
præcipuè vbi explicat, quomodò intelligan- S. Anton.
tur ea verba, *Gratiâ plena,* concludens: *Restat ergo, vt intelligatur tertio modo, scilicet quia maioris gratiæ capax non fuit pura creatura.* Et vt inferiùs citaui: *Nulla autem pura creatura est plena gratiæ susceptiuè, præterquam*

quàm B. Virgo, quæ tantam ſuſcepit, quòd pura creatura magis ſuſcipere non potuit. Richardus de S. Laur. citatus §. 77. præcipuè iis verbis: *Ipſa autem ſic vſquequaque gratia plena fuit, quia maiorem gratiam habere non potuit, niſi ipſa Diuinitati vniretur.* Euſebius Emiſſenus citatus §. 105. Bartholomæus Piſanus §. 44. Pelbartus §. 45. præcipuè vbi aſſerit, ideò dictam ab Angelo gratiâ plenam, *Quia infra Deum eſt puriſſima, & ſanctiſſima ea puritate, quâ ſub Deo maior nequit intelligi.* Ioannes Vitalis citatus §. 85. P. Alphonſus Salmeron §. 89. maximè iis verbis: *Plena dicitur gratiâ, quantam Matrem Meſſiæ habere decebat, quantumque pura creatura poterat eſſe capax.* P. Ludouicus de Ponte *in Cantica*, citatus §. 92. Auguſtinus Triumphus §. 49. Daniel Agricola §. 52. Andreas Cretenſis §. 58. Ægidius Romanus §. 79. Alexius à Salo §. 97. Angelus de Pace §. 99. Aſſerta Salmanticenſia P. Ioannis Barbiani citata §. 100. Denique S. Bonauentura infrà citandus §. 140.

Rich. à S. Laur. Emiſſenus. Piſanus. Pelbart. Vitalis. Salmeron. Ponte. Triumph. Agricola. And. Cret. Ægidius. Salo. Pace. Barbian. Bonauent.

138 Pro cuius rei claritate notandum eſt cum P. Ioanne Maldonato in hunc locum Lucæ, qui didicit ex S. Thoma proximè allegato, in ſacris literis multos dictos eſſe plenos gratiâ. Nam de Chriſto Domino dixit S. Ioannes, *Plenum gratiæ, & veritatis.* Stephanus quoque dicitur à Luca plenus gratiâ; & B. Virgo ſalutatur ab Angelo *gratiâ plena.* Quod de illis tribus perſonis verum eſt, quamvis illorum gratia ſit maximè inæqualis. Nam ſicut vas

Maldonat. S. Thom.

Inæqualitas gratiæ datur ſecũdùm diuer.

vas minimum, mediocre, & maximum verè plena ſunt liquore, licèt quantitas liquoris vnius ſit inæqualis alteri, quia vnumquodque vas recipit ſecundùm capacitatem ſuam: ita etiam Stephanus, B. Virgo, & Chriſtus Dominus pleni ſunt gratiâ, quamvis inæqualiter participatâ; quia vnuſquiſque plenus eſt ſecundùm capacitatem ſuam. Hæc autem capacitas nihil aliud eſt, quàm ſtatus vniuſcuiuſque, ad quem à Deo electus eſt. Et ideò *Stephanus dicitur plenus gratiâ, quia habebat gratiam ſufficientem ad hoc, quòd eſſet idoneus miniſter, & teſtis Dei, ad quod erat electus.* Vt loquitur S. Thomas proximè citatus.

ſitatem capacitatis ſubiecti.

S. Thom.

139 Hinc fit, B. Virginem eſſe plenam gratiâ ſecundùm capacitatem ſui ſtatus, & dignitatis; vt etiam dixit S. Thomas citatus, iis verbis: *Dicitur plena gratiâ per comparationem ad ipſam, quia ſcilicet habebat gratiam ſufficientem ad ſtatum illum, ad quem erat electa à Deo, vt eſſet ſcilicet Mater vnigeniti eius.* Atqui hæc capacitas infinita eſt, quæ nihil eſt aliud, quàm ipſa dignitas Maternitatis; capacitas autem infinita non poteſt plena eſſe ex ſola gratia finita: ergo vt ſit gratiâ plena, gratiam infinitam, imò & ſummam poſſibilem in pura creatura habere debet. Quarc optimè dixit Bartholomæus Piſanus citatus §.44. *Maria ſuam capacitatem plenam habuit gratiâ, quia gradum quoad gratiam poſſibilem creaturæ habuit.*

Capacitas infinita B. Virginis plena fuit gratiâ.

Piſanus.

Totum hunc diſcurſum reperi in S. Bonauentura,

uentura, *in Speculo lect.* 5. qui gratiam B. Virginis infinitam esse probat ex eo, quòd eius capacitas infinita plena fuerit. Quòd verò infinita sit capacitas illius, probat ex eo, quòd aluo concluserit Diuinum Verbum: quod idem est ac dicere, hanc capacitatem infinitam esse Maternitatem. Accipe totum textum: *Immensa certè fuit gratia, quâ ipsa fuit plena: immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit istud, quo est plenum. Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui cælo maior est, continere potuit. Quis est cœlo maior? Certè ille, de quo Salomon ait: Si cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc, quam ædificaui? Non vtique domus per Salomonem ædificata, sed domus per illam significata illum capere potuit. Tu ergo, immensissima Maria, capacior es cœlo; quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Tu capacior es mundo; quia quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Si ergo Maria tam capacissima fuit ventre, quantò magis mente? Et si capacitas tam immensa fuit gratiâ plena, oportuit vtique, quòd gratia illa, quæ tantam impleuisse potuit capacitatem, esset immensa. Quis immensitatem Mariæ potuit mensurare?* Quæ postrema verba satis clarè reddunt hunc sensum, scilicet non posse assignari determinatam magnitudinem capacitatis, & gratiæ B. Virginis, de quibus dixerat, esse immensas. Vnde vlteriùs colliges, apud S. Doctorem, idem esse immensum, atque infinitum, tum ex toto contex-

tu

tu; tum quia certò constat, illud esse infinitum cui determinata magnitudo nequit assignari; tum etiam propter dicta §. 85. Maneat ergo firmum, eo ipso quòd Maternitas sit dignitas infinita, imò & summa possibilis, intensionem gratiæ habitualis esse debere infinitam, & summam, quæ in pura creatura est possibilis.

Vrgetur ampliùs argumentum. Nam, vt 141
dixit P. Suarez suprà citatus *disp. præced.* §. *Suarez.*
47. dignitas Maternitatis tanta est, vt si in illa daretur gratia infinita, non excederet proportionem illius. Et vt dixit P. Ripalda cita- *Ripalda.*
tus suprà, §. 94. habet condignitatem ad merendum gratiam infinitam. Ergo ea dignitas capax est eius infinitæ gratiæ, scilicet proportionatè ad suum statum. Ergo dum non detur gratia simpliciter infinita, non erit plena hæc capacitas; cùm capacitas infinita repleri non possit per gratiam finitam. Infertur ergo, B. Virginem non posse dici gratiâ plenam, nisi habeat summam possibilem.

Dices: Verbum Græcum κεχαριτωμένη, 142
quod apposuit S. Lucas, non significat gratiæ plenitudinem, sed idem est, quòd grata, siue gratiosa: quæ duæ dictiones gratiam significant, & quidem abundantem, non verò eius plenitudinem: euanescit ergo vis huius argumenti, quod ex hóc verbo, *gratiâ plena*, desumitur.

Respondetur, falsum omnino esse, quòd 143
id verbum Græcum κεχαριτωμένη, non significet plenitudinem gratiæ: nam, vt benè no-

Toletus. tauit Cardinalis Toletus in hunc locum, participia, ſeu nomina verbalia deducta à verbis finitis in *OO*, ſignificant plenitudinem: vnde idem eſt, quòd abundantiſſimè, & pleniſſimè grata. Et, vt obſeruat Appollonius Grammaticus *lib.* 1. *de Syntaxi*, vis huius vocis ſine articulo prolatæ ſignificat idem, quod *grata omni modo*. Quod expreſſit S. Epiphanius *hæreſi* 78. dicens: *κατὰ πάντα κεχαριτωμένη*; id eſt, *per omnia gratioſa*. Eſſe autem per omnia gratioſam, & omni modo gratam, quid aliud eſt, quàm habere omnem plenitudinem gratiæ? Quod apertè fauet noſtræ ſententiæ de omni gratia poſſibili. Accedit, quòd vt obſeruat P. Maldonado in hunc locum, omnes veteres Authores, quaſi conſpiratione, vel potiùs diuinâ inſpiratione reddiderunt, *Gratiâ plena*: quam verſionem non ſolùm Latini Patres, ſed etiam Græci amplexi ſunt. Eamque eſſe legitimam verſionem, egregiè confirmat ſumma hæreticorum diſſenſio, quâ hanc verſionem deteſtantur.

Appoll.

S. Epiph.

Maldon.

CAP.

CAPVT X.

Reliqua Sacræ Scripturæ testimonia pro eadem sententia.

SEcundus Scripturæ locus est Ecclesiastici 144
capite 24. *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Quod caput integrum intelligi de B. Virgine, satis commune est inter Interpretes. Hæc autem verba ita explicat S. Bonauentura *serm. 3. de B. Maria*, ibi: *Dicitur Ecclesiastici 24. In plenitudine Sanctorum detentio mea. Et est sensus: Totum teneo in plenitudine, quod alij tenent in parte; vt dixit Hieronymus: Cæteris Sanctis datur gratia per partes, sed in Mariam tota se infudit plenitudo gratiæ.* Iuxta quem sensum B. Virgo habet omnimodam plenitudinem omnis gratiæ, quam omnes Sancti partialiter participant. Quam esse omnem plenitudinem possibilem gratiæ habitualis, colligitur ex Hieronymo, & aliis eius sectatoribus, vt vidimus suprà, à §. 61. Quem Ecclesiastici locum eodem modo explicat Ægidius Romanus in expositione Salutationis Angelicæ ad ea verba, *Gratiâ plena.* Vbi cùm dixisset: *Dicitur gratiâ plena, quia ei data est gratia secundùm totius subiecti capacitatem, non autem ad mensuram, vt datur cæteris ab ea.* Inter alias eius rei probationes hanc affert: *Hanc autem plenitudi-*

Ecclef. 24. *S. Bonau.* *Ægidius*

nem gratiæ, vniuersalitatem non mensuratam, & confirmatam intellexit Spiritus Sanctus, cùm in eius persona dixit Ecclesiastici 24. In plenitudine sanctorum detentio mea.

145 Luc.2. Tertius locus est etiam ex sermone Gabrielis: *Inuenisti enim gratiam apud Deum.* Lucæ 2. Vbi præpositio *Apud*, denotat idem, quod *Prope*, siue *Iuxta*. Nam, vt dicit Card.

Tolet. Toletus in MS. *concione 6.* super Missus est, *Græcè est παρὰ cum Datiuo casu. Notant autem Græci Authores, quòd quando talis præpositio iungitur Datiuo, significatur idem, quod prope, seu iuxta: ac si dicat, Inuenisti gratiam prope Deum.* Et sensus est, Mariam inuenisse gratiam, & sanctitatem ita immediatam Deo, vt inter sanctitatem Diuinam, siue hominis Dei, & sanctitatem B. Virginis nulla alia possit mediare. Ita intellexit hunc textum

S. Anton. S. Antoninus suprà citatus, §. 42. ex quo, rectò consequentiæ filo, intulit dictum Anselmi, hâc B. Virginis gratiâ maiorem sub Deo non posse intelligi. Ita enim ait: *Inuenisti gratiam apud Deum, id est, summam post Deum. Dicit enim Anselmus, quòd eâ puritate decuit vt niteret, quâ maior sub Deo nequeat inueniri.*

Albertin. Quæ Gabrielis verba eodem modo videtur intellexisse Albertus Magnus *lib. de laudibus Virg. cap. 238.* vbi post enumerata dona gratiæ, quæ recepit B. Virgo, subdit: *Hæc autem omnia inuenisti apud Deum. Apud dico, propinquissimâ similitudine, dignitate, familiaritate, naturæ vnitate.* Et id verbum, *propin*

propinquiſſima, non eſt dubium, quin intelligatur in ſummo poſſibili: nam, vt conſtat ex §.41. hæc omnia attribuit B. Virgini in ſummo, ſæpe ſæpius repetitis iterationibus. Quam ſummam propinquitatem ſignificari aſſerit in præpoſitione *Apud*.

A qua vtrinſque Doctoris explicatione parum diſtat P. Ludouicus de Ponte *lib. 1. Cant. exhort. 6. §. 3.* ita exponens: *Inueniſti gratiam apud Deum, non quomodocumque, ſed ſingulariter, & vnicè, & præ omnibus puris creaturis, per antonomaſiam tu inueniſti gratiam apud ipſum, vt plena ſis omni gratiâ. Oſculatus eſt te oſculo oris ſui, & præcellentiſſima tibi ſuæ gratiæ dona conceſſit. Nam teſte D. Anſelmo, decuit, Virginem eâ puritate nitere, quâ maior ſub Deo nequit intelligi.* Ponte.

Quartus locus eſt ex Cantico B. Virginis, 146
Fecit mihi magna, qui potens eſt. Lucæ 2. Luc. 2.
Quæ verba eum ſenſum præferunt, magnitudinem gratiæ, & donorum ſupernaturalium, quæ ipſi collata ſunt, non aliunde dimetiendam eſſe, quàm ex omnipotentia Dei; ſiue tantum gratiæ, & ſanctificationis ſibi collatum à Deo fuiſſe, quantum ipſe conferre potuit. Quod optimè notauit P. Suarez *tom. 2. in 3. part. diſput. 3. ſect. 5. §. Poſſumus ergo,* Suarez. vbi inquit: *Sic etiam verbum illud, Quia fecit mihi magna, &c. Hoc totum virtute continet. Menſura enim priuilegiorum Virginis potentia Dei dicitur.* Quod ampliùs explicuit verbis infrà citandis, §. 259. Id quod eodem tenore dixit Rutilius Benzonius *lib. 4.* Benzonius.

Valentia. *in Magnificat, cap.* 15. & P. Gregorius de Valencia *tom.* 4. *disp.* 2. *quæst.* 1. *puncto* 2.

147 Luc. 10. Quintus est ex Lucæ cap. 10. *Optimam partem elegit sibi Maria.* Quem textum in sensu mystico de B. Virgine Ecclesia intelligit. Cuius explicationem accipe à Bernardino de Busto 11. *part. Marial. serm.* 2. *part.* 1. ibi: *Ista enim verba propriè non conueniunt alicui sancto, nec alicui Angelo, nec etiam ipsi Deo, sed tantùm ipsi Virgini gloriosæ. Cùm enim optimum dicatur, cuius bonitati non est possibilis additio; optimum namque significat principalem gradum bonitatis, ff. de verborum oblig. l. vbi autem non apparet, vers. At cùm optimum. Cùm non sit aliquis Sanctus, vel Angelus, ad cuius perfectionem non possit addi aliquid; ideò nulli Sancto, vel Angelo poterunt verba ista propriè conuenire. Et cùm Deus non habeat partem bonitatis, sed totum; ipse enim, vt ait Augustinus in lib. de vera cultu, & Plato in Timæo 1. est bonitas infinita: & vt ait Anselmus in lib. Monologion, est summum bonum, quo nihil maius cogitari potest; ideò nec ipsi Deo prædicta verba possunt conuenire. Sola autem gloriosa Virgo optimam partem habet; ad cuius perfectionem, in quantum est pura creatura humana, aliquid addi non potest.* Qui Bernardini commentarius aliâ explicatione non indiget.

Busto. *Soli B. Virgini conuenit propriè, quod optimam partem elegerit*

148 Eccles. 24. Sextus Scripturæ locus est ex Ecclesiastici capite 24. *In me gratia omnis viæ, & veritatis.* Quod caput integrum de B. Virgine communiter intelligi, iam suprà adnotaui. Vt autem

autem hic locus in toto rigore verificetur, opus est, quòd habeat B. Virgo totam gratiam sibi possibilem. Ita enim hunc locum intellexit Ægidius Romanus suprà citatus, §.79. præcipuè iis verbis: *Maria autem dicitur gratiâ plena, quia ei sunt datæ omnes gratiæ, secundùm illud Ecclesiastici* 24. *In me omnis gratia viæ, & veritatis: & hæc est sententia Hieronymi*, &c. Relege totum textum ibi citatum, vt comperias, nostram sententiam hoc Scripturæ oraculo ab Ægidio confirmari. In eandem mentem iuit Augustinus Triumphus in Expositione Salutationis An- *Triumph.*
gelicæ, *lect.* 7. *quæstion.* 1. vbi cùm dixisset, quod Beata Virgo *excessit gratiam datam, & possibilem dari cuilibet creaturæ Angelicæ, vel humanæ*; vt citaui suprà, §.49. tandem assertum confirmat, subdens: *Vt sola ipsa signanter possit dicere, quantum ad ista quatuor, quod scribitur in Ecclesiastico: In me omnis gratia viæ, & veritatis.* Eodem textu vtitur S. Antoninus 4. *part. tit.* 15. *cap.* 6. ini- *S. Anton.*
tio, ad probandam summam plenitudinem gratiæ B. Virginis, quam apud Antoninum esse summam possibilem, constat ex §. 42. Quo eodem modo iis verbis vtitur etiam Daniel Agricola *in* 4. *stella coronæ* 4. *Agricol.*

Septimus est ex capite 1. Genesis: *Con-* 149
gregentur aquæ in locum vnum. Quæ verba *Genes.* 1.
mysticè interpretantur Doctores communiter de B. Virgine. Et sensus est, omnem gratiam, quam potest Deus distribuere inter puras creaturas, in hunc locum, qui propter sin-

gularitatem excellentiæ verè vnus est, fuisse congregatam. Ita hunc locum intellexit Augustinus Triumphus in expositione Salutationis Angelicæ, *lect.7. initio*, vbi ita ait: *Respondet illud verbum Gratiâ plena, per quod facta est nostra redemptio, tertio operi creationis, de quo scribitur in Genesi, Congregentur aquæ in locum vnum.* Et post pauca subdit: *Per vnum locum autem, in quo tales gratiæ congregatæ sunt, singularis capacitas animæ Virginis ad gratiam recipiendam intelligitur: quia nullus locus, & nulla anima alicuius creatura posset esse tanta, & talis gratiæ capax, sicut fuit anima Virginis gloriosa.*

Triumph.

150 Octauus sacræ paginæ locus est ex capite 3. Exodi, vbi Dominus loquens Moysi de medio rubi: *Ne appropries*, inquit, *huc; solue calcamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Etenim rubo ardenti incombusto significari B. Virginem, extra controuersiam est. Quæ etiam dicitur terra sancta, & iniungitur Moysi, ne ei appropinquet: per quod significatur, nullam puram creaturam posse accedere ad sanctitatem B. Virginis. Ita hunc locum intellexit idem Augustinus de Ancona *ibid.* his verbis: *De quo loco dictum fuit Moysi: Solue calceamentum de pedibus tuis, & non appropinques huc, quia locus, in quo stas, terra sancta est. In tantum enim locus iste fuit sanctificatus, & virtutibus, & gratiis repletus, quòd nullus sanctorum, nec Angelorum ad eius sanctitatem, & bonitatem potuit appropinquare.* Inde ergo colli

Exod. 3.

Triumph.

colligitur, B. Virginem habuiſſe ſummam ſanctitatem poſſibilem puræ creaturæ, quandoquidem nulla pura creatura potuit ad eius ſanctitatem peruenire.

CAP. XI.

Tertium argumentum ex infinito amore, quo Deus B. Virginem proſequitur.

TErtium argumentum eſt: Impoſſibile eſt, Deum infinitè diligere creaturam rationalem, & quòd talis creatura non habeat gratiam ſanctificantem infinitam: ſed Deus diligit B. Virginem dilectione infinitâ, imò & ſummâ, quæ poſſibilis eſt erga puram creaturam: ergo B. Virgo habet gratiam ſanctificantem infinitam, imò & ſummam poſſibilem. Conſequentia eſt euidens. Et Maior patet; nam dilectio iſta infinita Dei erga creaturam rationalem, neceſſariò debet eſſe amor amicitiæ, vt patet: ſi ergo infinitus eſt amor amicitiæ, amicitia infinita eſſe debet, & conſequenter gratia ſanctificans, quæ eſt forma denominans ſubiectum amicum Dei. Huc accedit, maiorem, vel minorem amorem Dei erga creaturas operari in illis maiora, vel minora dona; vnde ſi infinitè diligit creaturam, id ita eſt, quatenus illi communicat donum aliquod infinitum, quod reſpectu amoris ami- 151

citiæ debet esse donum sanctificantis gratiæ.

152 Iam verò Minor illiús primi syllogismi probatur. Deus dedit B. Virgini dignitatem infinitam, scilicet Maternitatem Dei: sed nequit Deus donare dignitatem infinitam, quin infinitè diligat eum, cui donat: ergo infinitè diligit B. Virginem. Maior constat ex Disputatione præcedenti. Minor ostenditur. Quòd enim maior sit, vel minor amor Dei erga creaturam, desumitur, aut saltem colligitur ex maiori, vel minori dono, quod tribuit; ergo si donat dignitatem infinitam, necessariò infertur, quòd infinitè diligit. Itaque ex eo quòd donauerit dignitatem infinitam, colligitur, quòd infinitè diligat B. Virginem; ex eo autem, quòd infinitè diligat, cùm is amor, vtpotè adeò excellens, debeat esse amicitiæ, colligitur, quòd eius gratia habitualis debeat esse infinita. Et eodem modo probatur, proportione seruatâ, gratiam B. Virginis esse totam possibilem in pura creatura, ex eo quòd dilectio Dei erga B. Virginem sit summa possibilis; siquidem dedit ei dignitatem summam, quæ possibilis est in pura creatura.

Aureolus. Ex hoc enim capite probat Aureolus citatus *disp. præced.* §. 21. summam dilectionem possibilem Dei erga B. Virginem, in hæc verba: *Plus diligit B. Virginem, quàm omnem creaturam puram; quia Maternitas B. Virginis videtur esse summum bonum post vnionem.* Et Albertus Magnus *lib. de laudibus Virg.*

Virg. cap. 170. asserit, dilectionem Dei erga B. Virginem esse infinitè maiorem, quàm erga alias creaturas, his verbis: *Dominus apparuit charo suo Ioanni, & dixit: Veni dilecte mi, &c. Si ergo hoc Christus Ioanni; ergo potiùs Matri, quæ in infinitum charior erat.*

Præcipuam vim huius discursus ostendit S. Anselmus *lib. de excellent. Virg. cap.* 4. Nam ex dignitate Matris Dei colligit, dilectionem Dei erga B. Virginem fuisse summam possibilem. Ita enim loquitur: *Ostendit ergo ipse priùs amorem, quem habebat erga Matrem Virginem; & amorem, quo nullum putemus esse posse maiorem. Matrem suam fecit illam, & virginitatem illi non ademit.* Ex dilectione autem summa possibili erga B. Virginem nos vlteriùs colligimus gratiam habitualem summam possibilem. 153

CAPVT XII.

Quartum argumentum petitum ex summa coniunctione B. Virginis cum Deo.

QVartum argumentum est. Quantò maior est coniunctio, & adhæsio ad Deum in creatura, tantò plus habet gratiæ habitualis: sed B. Virgo ex hoc, quòd est Mater Dei, habet summam coniunctionem, adhæsionem, & vnionem ad Deum, quæ possibilis est in pura 154

pura creatura: ergo habet summam gratiam habitualem possibilem in pura creatura. Maior ex terminis nota est; & illam tradit S. Laurentius Iustinianus *serm. de Assumpt.* ibi: *Tantò dignitate cæteris est effecta excellentior, quantò propinquior erat Verbo.* Consequentia etiam est legitima.

Minor verò ostenditur. Etenim Maternitas Dei, præter vnionem affectiuam gratiæ, & charitatis, quam vt quid sibi debitum, & annexum importat, addit etiam veram, & realem vnionem cum Deo Filio, qualem habet arbor cum fructu; scilicet pro tempore, quo Filium in aluo gestauit: & deinde vnionem moralem cum Deo Filio, quam explicuimus *disput. præced. à* §. 79. Hæc autem est summa vnio, possibilis puræ creaturæ cum Deo. *Suarez.* Nam, vt bene P. Suarez *tom. 2. in 3. p. disp. 1. sect. 2.* notauit: *Nec potest dici tantùm coniunctio carnalis, sed etiam spiritualis; quia licet mediâ conceptione carnis facta sit, tamen ad Deum ipsum aliquo modo terminatur.* Ideoque Doctor eximius rectè dixit ibidem, quod Maternitas Dei *est suprema quadam coniunctio cum persona infinita.* Et Dionysius Car- *Carthus.* thusianus *lib. 1. de Laudib. Virg. art. 34.* ait: *Post hypostaticam cum Deo coniunctionem non est alia tam vicina, vt vnio Matris Dei cum Deo Filio suo.* Idem disertè testatur Augusti- *Ancona.* nus de Ancona citatus *disput. præced.* §. 23. Ibi enim asserit, quòd B. Virgo *excessit gratiam datam, & possibilem dari cuilibet creaturæ Angelicæ, vel humanæ,* in copulatione cum Deo:

Deo: *Quia alij homines vel Angeli sunt Deo coniuncti, vel copulati per gratiam filialis adoptionis; sed B. Virgo fuit Deo coniuncta per gratiam naturalis filiationis, quia ipsa fuit verè Mater Christi.* Relege ibi totum textum. Hæc est illa identitas B. Virginis cum Deo, quam adeò stupet, & miratur B. Petrus Damianus allegatus *disput. præced.* §.81.& quam tradunt S. Augustinus, & Albertus Magnus ibidem citati. Pet.Dam.

155 Totus autem discursus cum omnibus suis propositionibus reperitur in S. Thoma 3. *part. quæst.* 27. *art.* 5. *corp.* his verbis: *Quantò aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principij. Vnde Dionysius ait* 4. *cap. Cælestis Hierarchiæ, quòd Angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus Diuinis, quàm homines. Christus autem est principium gratiæ secundùm Diuinitatem authoritatiuè; secundum humanitatem verò instrumentaliter. Vnde & Ioan.* 1. *dicitur: Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundùm humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam: & ideò præ cæteris maiorem debuit à Christo gratiæ plenitudinem obtinere.* Et illa vox *præ cæteris*, intelligi etiam debet de omnibus possibilibus creaturis, quæ dignitate Matris non præfulgeant: cùm in illis etiam militet ratio ab Angelico Doctore assumpta; semper enim manerent minus Christo propinquæ, quàm Mater. Vnde S.Thom.

de colligitur, sanctiorem esse omnibus creaturis possibilibus, atque adeò sanctitatem eius esse maximam possibilem in pura creatura.

S. Anton. Quem discursum etiam prosequitur S. Antoninus 4. *p.tit.*15.*c.*15.§.1.

156 *Richelius.* Eodem modo discurrit Dionysius Richelius *lib.*1.*de laudib.Virg. art.*22. cui articulo præfigit hunc titulum: *Quàm specialiter, & ineffabiliter Deus hanc Virginem dilexit.* Et vt declaret hanc ineffabilem dilectionem, addit: *Vnio ex amore procedit* (typi errare videntur; sensus enim hunc postulat contextum: *Amor ex vnione procedit.*) *Tanto itaque specialiùs, & eminentiùs Deus adorandus dilexit, ac praelegit Mariam, quantò intimiùs, propinquiùs, ac familiariùs se.ßi vniuit: sed huic gloriosissimæ Mariæ Deus coniunxit se, non solum per gratiarum charismata, per illuminationem, dilectionem, & adhæsionem extrinsecam; sed item per naturalem, & realem quamdam identitatem: quia factus est aliquid eius eo modo, quo proles est aliquid suæ parentis.* Ecce proposuit Maiorem, & Minorem Syllogismi; quibus si adiungas verba eiusdem proximè relata, quòd illa est summa vnio cum Deo post vnionem hypostaticam, rectè deduces consequentiam: ergo Deus dilexit B. Virginem summâ, & eminentissimâ dilectione possibili erga creaturam. Quem

Granat. discursum attigit etiam Ludouicus Granatens. *tom.*1.*de festis Sanctorum, serm.*2. *de Conceptione, num.*16.

CAP.

CAP. XIII.

Quintum desumptum ab excessu Maternitatis supra gratiam.

QVintum argumentum est. Maius est esse Matrem Dei, quàm habere gratiam sanctificantem infinitè intensam: ergo cui conceditur, quod est plus, non est, cur negetur, quod est minus. Antecedens constat *ex disput. praced. cap. 6.* vbi abundè ostensum est, ampliorem esse dignitatem Deiparæ, quàm gratiam sanctificantem in quavis intensione consideratam. Et rationes omnes ibi adhibitæ, quæ probant, Maternitatem Dei esse summam dignitatem possibilem in pura creatura, etiam conuincunt, esse maiorem gratiâ sanctificante, quantumvis infinitâ. Iam verò si Maternitas est dignitas maior, quàm gratiâ infinita, non est, cur hæc denegetur Deiparæ. Etenim si propter aliquid deneganda esset, maximè ne puræ creaturæ aliquid adeò magnum, & insolitum concedatur; vel ne aliquid reipsa infinitum constituatur in illa: sed habet de facto aliquid maius, & re ipsa infinitum, scilicet dignitatem Matris: ergo non est, cur Deiparæ denegetur gratia sanctificans infinitè intensa. Hoc argumento vsus est Arbertus Magnus *lib. de laudib. Virg. cap.* 178. in hæc verba: *Ad dationem doni supremi* 157 *Albertus.*

seqni

sequitur collatio omnium inferiorum, iuxta illud ad Romanos 8. Qui proprio Filio suo non pepercit, &c. quo modo non omnia cum ipso nobis donauit? Sed Dominus B. Virgini summum donauit, cuius capax fuit pura creatura, scilicet Dei Maternitatem: ergo & summam puritatem.

CAP. XIV.

Sextum argumentum ex adoratione Deiparæ debitâ petitum.

158 SExtum argumentum est B. Virgini debetur hyperdulia, quæ est summa adoratio possibilis erga puram creaturam: sed hæc non deberetur B. Virgini, si non haberet gratiam infinitam, imò totam possibilem: ergo illi concedenda est gratia simpliciter infinita, & tota possibilis. Probatur Minor. Summa adoratio, quæ possibilis est erga puram creaturam, debetur summæ dignitati supernaturali possibili in pura creatura, vt ex terminis notum est: sed non est summa dignitas supernaturalis possibilis in pura creatura, quæ non habet gratiam simpliciter infinitam, & totam possibilem; cùm sine dubio maior dignitas esset Maternitas, cui deberetur gratia infinita, quàm illa, cui gratia finita debeatur: ergo non deberetur B. Virgini summa adoratio possibilis, si non haberet gratiam infinitam, & totam possibilem.

Quòd

Quòd verò hyperdulia, quæ B. Virgini debetur, sit summa adoratio possibilis erga puram creaturam (quæ erat Maior primi syllogismi, & quæ sola indiget probatione) probatur primò. Nam D. Bonauentura *in 3. dist. 9. quæst. 3. corp.* docet, B. Virgini exhiberi hyperduliam: idque probat ex eo, quòd habet dignitatem maximam possibilem in pura creatura. In quo planè fatetur, adorationem hyperduliæ, quæ B. Virgini exhibetur, esse maximam adorationem possibilem erga puram creaturam. Accipe verba Doctoris Seraphici: *Sed quoniam excellentissimum nomen habet, ita quòd excellentius pura creatura conuenire non potest, ideò non tantùm debetur ei honor duliæ, sed hyperduliæ. Hoc autem nomen est, quòd virgo existens, Dei Mater est: quòd quidem ita tantæ dignitatis est, quòd non solùm homines, sed etiam Angeli eam reuereantur quadam prærogatiuâ speciali. Ex hoc enim, quòd Mater Dei est, prælata est cæteris creaturis.* Et post pauca: *Hic autem honor consueuit à Magistris Hyperdulia vocari.* Quòd si hæc adoratio hyperduliæ exhibetur S. Virgini, *Quoniam excellentissimum nomen habet, ita quòd excellentius pura creatura conuenire non potest*; planè infertur, hanc adorationem esse excellentissimam, ita quod excellentior puræ creaturæ conuenire non possit. 159 *Hyperdulia est summa adoratio possibilis erga puram creaturam.* *S. Bonau.*

Quam sententiam secutus est eiusdem familiæ Pelbartus. Qui cum *in Stellario, lib. 12. part. 1. art. 1.* dixisset: *In quantum ipsa est persona sancta, debetur ei dulia; secundò verò in* 160 *Pelbartus.*

 quan

quantum est Mater Dei, debetur ei hyperdulia. Eodem articulo ait, adorationem, quæ ei exhibetur vt Matri Dei, esse maximam possibilem erga puram creaturam, ita asserens: *Christus adoratur vt Deus in imagine Crucifixi; Maria non vt Deus, sed vt Mater vera Dei, & sic infra Deum: tamen supra omnem creaturam Verbo non vnitam vnione personali.* Ecce adorationem superiorem omni aliâ, quæ ad Christum non terminatur.

161 *Richelius.* Idem etiam sensisse videtur Dionysius Richelius *in 3. dist. 9. §. Vdalricus*, dum dixit, hyperduliam esse duliam summam: *Quòd adoranda sit adoratione dulia, imò dulia summa, quæ hyperdulia nominatur.* Idem enim est *summa*, atque omnium maxima. Id etiam *Salo.* disertè tradit Alexius à Salo *in arte amandi Deiparam, cap. 3.* sic fatus: *Igitur sancta Virgo, quia Mater Dei est, maximo illo cultu, quo potest creatura honorari, quem Theologi hyperduliam indigitant, digna est.* Et Rutilius *Benzonius.* Benzonius *lib. 2. in Magnif. cap. 2. dub. 9. §. Neque adoratione*, ait: *Ideò absque dubio debetur ei potissima post Deum adoratio, quæ ab omnibus aliis adorationibus specie distincta sit.* Secutus P. Suarium *tom. 2. in 3. part. disp. 22. sect. 3. fine*; cuius assertionis hanc reddit rationem Suarius: *Cùm verò hæc dignitas singularis sit inter omnes creaturas, mirum non est, quòd singularem, ac propriam virtutem requirat.* Requirit ergo talem adorationem, qualis est dignitas Matris; tantóque excellentiorem asserit adorationem, quantò ea dignitas

nitas

nitas est excellentior. Cùm ergo ex sententia Suarij dignitas Matris sit maxima possibilis in pura creatura, vt constat *ex disput. praced.* §. 46. sequitur, iuxta mentem Doctoris eximij adorationem esse maximam possibilem erga puram creaturam.

164 S. Thom. Sed & S. Thomas fauet apertè nostræ sententiæ 3. *part. quæst.* 25. *art.* 5. *corp.* dum significat, hyperduliam esse adorationem maiorem qualibet adoratione creaturis debitâ; hancque esse maximam possibilem infra latriam. Hæc autem sunt verba Doctoris Angelici: *Cùm igitur B. Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriæ, sed solùm veneratio duliæ, eminentiùs tamen quàm cæteris creaturis, in quantum ipsa est Mater Dei. Et ideò dicitur, quòd debetur ei, non qualiscumque dulia, sed hyperdulia.* Vbi apertè comparat cum cæteris omnibus creaturis, etiam possibilibus: nam ea verba, *eminentiùs tamen, quàm cæteris creaturis, in quantum ipsa est Mater Dei*, tantumdem valent, ac si dicerent, eminentiùs quàm cæteris creaturis, quæ carent dignitate Matris Dei: quod tam ad existentes, quàm ad possibiles extenditur; cùm his, & illis deficiat Maternitas, quæ est ratio huius eminentiæ adorationis supra omnes.

165 S. Bonau. *Si existerent omnes creaturæ possibiles* Ante secundam probationem præmitto doctrinam quam tradit S. Bonauentura *in* 4. *dist.* 44. *dub.* 3. vbi cùm dixisset, non esse possibilem maiorem dignitatem in pura creatura, quàm dignitatem Matris Dei, verbis rela-

deberent adorationem Matri Dei. tis *disput. praced.* §. 9. addit: *Si enim omnes creaturæ, quantumcunque ascenderent in gradibus nobilitatis, essent præsentes, omnes deberent reuerentiam Matri Dei.* Quæ verba non egent explicatione, cùm apertè loquatur S. Doctor in ea propositione conditionali de omnibus creaturis possibilibus; vt præcipuè denotant ea verba, *quantumcunque ascenderent in gradibus nobilitatis.* Quod intellige supponendo, nullam alteram futuram esse Matrem Dei; quod ex actuali decreto Dei est omnino necessarium. Quod didicit Doctor

S.Damasc. Seraphicus à S. Ioanne Damasceno *orat.2.de Assumpt.Virg.* ita aiente: *Decet Matrem ea, quæ filij sunt, possidere, & ab omnibus rebus*

Albert. *adorari.* Sed & Magnus Albertus id expressit, qui *lib.de laudib. Virg.cap.*81. ait: *Cùm ipsa sit suprema & dignissima creaturarum omnium, quam omnes debebant reuereri, & honorare; minimè debitum fuit, vt alias creaturas honoraret*; id est, adoraret.

164 *B. Virgo titulo Matris habet dominium suprà omnes creaturas, quæ extiterint.* Ea autem doctrina facilè probatur. Etenim B. Virgo iure Maternitatis Dei habet dominium supernaturale perfectissimum in omnes creaturas, quotquot extiterint sub dominio filij eius; atque adeò si omnes creaturæ possibiles existerent (ex quibus nulla alia haberet Maternitatem Dei) supra omnes haberet Deipara eiusmodi dominium, & consequenter omnes essent inferiores illâ. Iam verò titulo eius dominij omnes deberent adorationem B. Virgini; & nulli earum B. Virgo adorationem deberet, cum ipsa esset superior omnibus.

bus. Eſt enim adoratio, vt definit P. Suarez *tom.* 1. *in* 3. *part. diſp.* 51. *ſect.* 1. ex communi Theolorum ſenſu, *Actus honorandi alterum, ſe illi tanquam ſuperiori, & excellentiori ſubmittendo.* Et quidem ſicut infinitum dominium Dei eſt titulus, ob quem Deo debent omnes creaturæ ſupremam adorationem; ita dominium, quod B. Virgini competit iure Maternitatis Dei ſupra omnes creaturas, titulus eſt, ob quem omnes debeant illi adorationem. Ita exprſesè tradunt vno ore Sancti Patres. S. Athanaſius *homil. de S. Virgine*, S. Ioannes Damaſcen. *lib.* 4. *de fide, cap.* 15. S. Germanus *in epiſtola ad Ioannem Synnadon*, quæ habetur actione 4. ſeptimæ Synodi, S. Auguſtinus *ſerm.* 35. *de Sanctis*, S. Bernardus *ſerm.* 1. *de Aſſumpt.* B. Petrus Damianus *ſerm.* 1. *de Natiu. B. Mariæ.* Rupertus *lib.* 3. *in Cant.* ad id, *Veni, coronaberis.* S. Anſelmus *de excellent. Virg. cap.* 8. Gregorius Papa *in epiſtola ad Germanum*, quæ habetur in eadem ſeptima Synodo, *act.* 4. S. Gregorius Nazianzenus *in tragœdia de Christo patiente.* Ioannes Cantacuzenus *in apolog.* 3. & 9. *contra Mahumetanos*, S. Epiphanius *hæreſi* 79. quos pro eo aſſerto refert, & ſequitur P. Vaſquez *tom.* 1. *in* 3. *p. diſp.* 99. *c.* 1. *n.* 3.

Suarez. S. Athan. S. Damaſc. S. Herman. S. Auguſt. S. Bernard. S. P. Dam. Rupertus. S. Anſelm. S. Gregor. S. Nazian. Cantacuz. S. Epiph. Vaſquez.

Quam propoſitionem de adoratione debita B. Virgini ab omnibus creaturis titulo eius dominij, diſertè docet P. Suarez *tom.* 2. *in* 3. *part. diſp.* 22. *ſect.* 2. item Rutilius Benzonius *lib.* 2. *in Magnif. cap.* 22. *dub.* 9. §. *Secunda eſt.* Eam etiam tradiderunt S. Bernardinus *tom.* 1. 165

Suarez. Benzon. S. Bernard.

Nicetas. Arnold. *serm.*6 1.*art.*1.*cap.*6. Nicetas *in fragmento de Catechismo Saracenorum, tom.*6. *Biblioth.* Arnoldus Carnotensis *tract. de Laudib. Virg.* *S.Bonau. Pelbart. Busto. Trithem.* S.Bonauentura *in Speculo, lect.*3. Pelbartus *in Stellario, lib.*1.*part.*4.*art.*1.*cap.*1. Bernardinus de Busto 5. *part. Marial. serm.*8. *fine.* Ioannes Trithemius *lib.*1.*de miraculis B.Mariæ prope Dittelbach, cap.*12.& plures alij.

166 *Supremum Virginis dominium arguit supremam adorationem infra latriam.* Hinc probatur secundò, adorationem B. Virgini debitam esse summam possibilem erga puram creaturam. Etenim si hæc non esset maxima adoratio, quæ possibilis est erga puram creaturam, possibilis esset pura creatura, cui excellentior adoratio deberetur; consequenterque si talis creatura existeret in rerum natura coram B. Virgine, non deberet adorationem Deiparæ, vtpote superior dignitate; & Deipara illi adorationem inferioris deberet. Atqui talis creatura impossibilis est; nam, vt constat ex dictis, ea, & quævis alia creatura, subiicitur dominio supernaturali Deiparæ, & eo titulo debet illi adorationem; non ergo possibilis est erga puram creaturam adoratio sublimior, quàm illa, quæ B. Virgini exhibetur.

167 *Adoratio Crucis ex contactu inferior est hyperdulia.* Ante probationem tertiam præmitto, adorationem, quæ exhibetur Cruci, clauis Christi, & similibus, non prout intelliguntur vt coniuncta cum persona diuina, sed propter relationem ad Christum ex contactu physico, esse inferiorem adoratione hyperduliæ, quæ B. Virgini debetur propter Maternitatem Dei. *Suarez.* Quod supponit P. Suarez *tom.*2. *in* 3. *part.*

part. disp. 22. *sect.* 2. §. *Sed dicet aliquis*: & expresse asserit Bartholomæus de Medina 3. *part. quæst.* 25. *art.* 5. *in expositione articuli*; qui cùm dixisset, B. Virginem posse adorari latriâ propter contactum physicum, addit, honorificentiorem, & illustriorem (sunt formalia eius epitheta) esse cultum hyperduliæ, quâ sanctissima Virgo adoratur, quam cultum latriæ ex physica coniunctione ad Christum. Idem ferè eodem tenore verborum asserunt Hieronymus de Cabrera 3. *part. quæst.* 25. *art.* 3. *in comment.* §. *Sed obiicitur*, & Didacus de Tapia 3. *part. quæst.* 27. *art.* 11. quamvis non approbem fundamentum, quo nituntur hi Doctores; nec vacat illud refutare. *Medina.* *Cabrera.* *Tapia.*

Ratio huius asserti manifesta est. Etenim dignitas Matris Dei supra contactum physicum superaddit excellentiam multò maiorem, vt per se patet: ergo adoratio hyperduliæ, quæ debetur titulo Maternitatis, maior esse debet, quàm quæ exhibetur titulo solius contactus. *Multò altior* (inquit Didacus de Tapia allegatus,) *& felicior est virgo ob eam rationem, propter quam est adoranda hyperduliâ, quàm ob eam, propter quam posset adorari latriâ: ergo si adorationes istæ æquè, & benè perpenduntur, maior cultus, & excellentior debet esse in Virgine hyperdulia, quàm latria.* Quod priùs dixerat Pelbartus *in Stellario*, *libro* 12. *part.* 1. *art.* 1. his verbis: *Loquendo de Cruce ipsa Christi, solùm in quantum est cruentata, & ad Christum pertinens; adhuc maior* *Pelbart.*

honor debetur Matri Christi, quam Cruci: tali ratione secundùm Thomam, quia cùm coniunctio ad Christum sit causa honoris; vbi est maior coniunctio ad Christum, ibi debet esse maior honor: sed coniunctior est Christo Mater Christi, quam Crux Christi: ergo maior honor debetur Matri. *S. Thom.*

169 Propter hanc rationem censeo, adorationem hyperduliæ includere in se illam adorationem latriæ, quæ (vt tradit P. Suarez *illa disp. 22. cit. sect. 2. §. Prima igitur*, ex S. Thoma *3. part. quæst. 25. art. 5.* & Caietano *ibi*,) potest exhiberi B. Virgini ex contactu physico. Et ratio conuincit. Nam sicut se habet vna dignitas ad alteram dignitatem; ita se habet adoratio vnius dignitatis ad adorationem alterius: sed Maternitas Dei includit illum contactum physicum ad Christum Dominum: ergo adoratio Matris Dei includit adorationem exhibitam titulo contactus physici. *Suarez. S. Thom. Caiet. Hyperdulia includit in se latriam, quæ est ex contactu.*

Huc reuocari potest ratio, quam solicitè inquirunt multi Theologi, ob quam B. Virgo, cùm possit adorari latriâ ex contactu physico, non soleat adorari, nisi solâ hyperduliâ. Et legitima ratio hæc est; quoniam hyperdulia includit in se latriam modo dicto. Nec mirandum est, quòd dicamus, adorationem hyperduliæ sublimiorem esse adoratione latriæ, quâ adoratur ex relatione ad Christum, scilicet ex contactu physico; quia hæc non est latria propriè, sed solùm impropriè, & reductitiè, vt docet Card. Bellarminus *tom. 1. controu.* *Adoratio Crucis ex contactu nõ est propriè latria, sed reductiuè. Bellarm.*

controu. 7. *lib.* 2. *de imaginibus, cap.* 25. & supponit P. Suarez *ea disp.* 22. *sect.* 3. *initio*, & asserunt Doctores suprà relati, qui dicunt, maiorem esse hyperduliam B. Virgini exhibitam, quàm eiusmodi latriam. *Suarez.*

170 Hinc conficitur tertia probatio eius propositionis assumptæ, scilicet hyperduliam B. Virgini debitam esse maximam adorationem, quæ possibilis est erga puram creaturam. Etenim hyperdulia, quæ debetur B. Virgini, sublimior est adoratione latriæ, quâ adoratur Crux, vt probatum manet: sed hæc adoratio latriæ, quâ adoratur Crux, sublimior est qualibet aliâ adoratione, quæ debetur alteri puræ creaturæ, quantumvis illi sit dulia ob excellentissimum sanctitatis gradum debita: ergo hæc hyperdulia sublimior est qualibet aliâ adoratione debitâ puræ creaturæ; atque adeò est maxima, quæ puræ creaturæ potest exhiberi. *Excessus hyperduliæ supra latriam impropriam, arguit illam esse summam possibilem.*

Sola Minor eget probatione, quæ sic probatur. Nam contactus physicus est titulus exigens maiorem adorationem, quàm quævis excellentia sanctitatis: propiùs enim accedit ad venerationem Christi Domini, ceditque proximiùs in illius honorem. Et ideò adoratio latriæ ex contactu physico pertinet ad virtutem Religionis; cùm tamen quævis alia dulia pertineat ad virtutem obseruantiæ. Et quia hæc adoratio Crucis est excellentior quovis genere duliæ, vocauit illam S. Thomas hyperduliam *in* 3. *dist.* 9. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 4. iis verbis: *Adoratur Crux, in quantum* *S. Thom.*

tum est res quædam Christi, ratione ipsius, hyperdulià. Quod idem asserunt Marsilius *ibid. quæst.8. art.2.* Henricus *quodlibet. 10. quæst.6.* & alij.

Marsilius. *Henricus.*

171 Quartò potest esse non leuis probatio, ad eandem assumptam propositionem stabiliendam, doctrina, quam valdè commendat P. Suarez *eâ disp.22. cit. sect.3. §. Vltimò inquiri*, scilicet hyperduliam B. Virgini exhibitam pertinere, non ad virtutem obseruantiæ, qualiter adoratio reliquorum Sanctorum, sed ad virtutem Religionis: ita quòd hæc adoratio ab eodem habitu procedat, à quo procedit adoratio Christi Filij eius. Sicut enim ad duliam, quæ Sanctos adorat ob excellentiam sanctitatis eorum, spectat etiam venerari eorum reliquias, eo quòd hæ sunt aliquid ipsis Sanctis coniunctum: ita ad virtutem Religionis pertinet adorare Dei Matrem, quia ab intrinseco propriæ dignitatis res est coniunctissima, & connexa cum ipso Deo, vtpotè pertinens ad ordinem vnionis hypostaticæ. Hinc infero, quamlibet aliam adorationem, quæ puræ creaturæ ob propriam excellentiam exhibeatur, inferiorem esse debere istâ hyperduliâ. Sicut enim nulla potest ascendere tam immediatè ad ordinem vnionis hypóstaticæ; ita nulla potest procedere ab habitu Religionis, sicut procedit hæc hyperdulia B. Virgini debita. Et quamvis adoratio Crucis ex contactu physico procedat ab habitu Religionis, adhuc inferiorem eam esse, iam diximus. Rectè ergo infertur, hanc adorationem B. Virgini

Suarez.

Hyperdulia spectat ad virtutē Religionis.

ni

ni exhibitam esse supremam, quæ possibilis est erga puram creaturam.

172 Ex quibus omnibus optimè colligitur, B. Virginem gratiâ habituali infinitâ, imò & totâ possibili præditam esse. Debetur enim B. Virgini summa adoratio, quæ possibilis est exhiberi puræ creaturæ: hæc autem exigit summam gratiam habitualem possibilem, vt suprà vidimus.

173 Dices, adoratiouem Deiparæ debitam non ei exhiberi ob gratiam habitualem, sed ob dignitatem Matris Dei: ergo quidquid sit de gratia habituali, eadem hyperduliæ adoratio exhibebitur B. Virgini. Respondetur, dignitatem Matris Dei, vt diximus à §. 127. & *disp. praced.* §. 90. non posse considerari nudè sumptam, sine exigentia gratiæ, & donorum, quæ sibi debentur: considerare enim statum Matris Dei separatum à gratia, idem est ac concipere solem sine luce, & ignem sine calore. Itaque destruit dignitatem Maternitatis, qui illam statuit sine exigentia gratiæ sibi proportionatæ. Hinc fit, adorationem hyperduliæ Deiparæ exhiberi solo titulo Maternitatis; sed Maternitatis, quæ exigat gratiam sibi proportionatam. Cùm ergo sit summa adoratio, quæ potest exhiberi puræ creaturæ, illa, quæ exhibetur Maternitati; colligitur, hanc esse debere talem dignitatem, quæ exigat supremam gratiam habitualem possibilem in pura creatura; quamvis hæc adoratio non exhibeatur titulo gratiæ habitualis.

CAP.

CAPVT XV.

Septimum argumentum, ex dispositione praeuia ad Incarnationem.

174 SEptimum est. Tota gratiæ plenitudo, quam recepit B. Virgo, fuit præuia dispositio, vt esset idonea Mater Dei, & vt reciperet in se arcanissimum illud mysterium, ad illudque cooperaretur: hoc fieri non potest, nisi gratia sit infinita: prædita ergo fuit B. Virgo gratiâ habituali infinitâ. Probatur Minor. Etenim inter dispositionem, & formam seruari debet proportio, tàm in physicis, quàm in moralibus. Neque enim vnus gradus caloris est sufficiens, & proportionatus, vt disponat subiectum ad formam ignis, nec si daretur ignis, qui haberet infinitam actiuitatem, peteretve esse infinitè calidum, sufficerent mille gradus caloris ad subiectum disponendum, cùm mille gradùs ad infinitos non habeant proportionem. Et similiter in moralibus: ad recipiendam enim gratiam habitualem præcedit dispositio peccatoris, quæ cum gratia recipienda proportionatur; gratia enim habitualis in maiori, vel minori intensione tribuitur hominibus *secundùm propriam cuiusque dispositionem*, vt loquitur Concilium Tridentinum *sess.6. cap.7.* atque adeò ipsa gratia commensuratur, & proportionatur cum dispositione

Gratia disponens B. Virginem ad Incarnationem, debuit esse infinita.

Trident.

positione recipientis. Iam verò inter gratiam finitam, & Maternitatem Dei infinitam, mysteriumque Incarnationis infinities infinitum in ea efficiendum, & recipiendum, non est sufficiens proportio : ergo gratia habitualis B. Virginis non potest esse finita, sed infinita esse debet.

Maiorem primi syllogismi tradit Ecclesia in oratione de B. Virgine: *Gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus, & animam, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante, præparasti.* Cooperatio ergo, & superuentio S. Spiritus fuit præparatio, & dispositio, vt B. Virgo fieret dignum Dei habitaculum. Et S. Anselmus *lib. de excell. Virg. cap. 7.* idem asserit his verbis : *Si talis apparatus fit pro aduentu terreni hominis; qualis apparatus omnis boni, putamus, fiebat pro aduentu cœlestis Regis in corde Virginis, quæ illum non solùm erat transitiuè hospitatura, sed etiam ex substantia sua factum hominem paritura.* Quod idem est, ac illud, quod dixit breuiùs *lib. de Conceptu Virginali, cap. 18.* sic : *Decebat, vt illius hominis conceptio de Matre purissima fieret.* Quod manifestè indicat, ad Christi Conceptionem præuiè requiri in B. Virgine eam puritatem, & talem, *quâ maior sub Deo nequit intelligi.* Sed & S. Augustinus *serm. 5. de Natali Domini,* agens de superuentione Spiritus Sancti in B. Virginem, quæ fuit per gratiam, ait: *Spiritus, inquit, Sanctus superueniet in te. Dignum planè erat, vt regali onustanda partu, prius cœlestis Regis sanctificaretur ingressu.* 175

Gratia data Virgini in Incarnatione, fuit dispositio ad illud mysterium.

S. Anselm.

S. August.

176 *Pisanus.* Idem disertis terminis tradit Bartholomæus de Pisis *lib. 3. de laudib. B. Mariæ, fruct. 4. pag. mihi* 404. ita asserens: *Prius naturâ, & ordine quodam Virgo Maria habuit gradum gratiæ, quâ caro Verbi traheretur ex ipsa, seu quâ Verbum conciperetur ex ipsa. Patet; quia talis gradus fuit dispositio in ipsa ad susceptionem Verbi, & vt Mater Dei esset, vt dictum est.* Et paulò pòst addit: *Ex quo Deus fuit in eius carne modo, quo non priùs, dignum fuit, aliquâ sanctificatione naturaliter præuiâ consecrari.* Vocat autem sanctificationem naturaliter præuiam, quia ex natura mysterij ea prærequirebatur. Et paulò pòst loquens de gratia, quam B. Virgo habebat ante Incarnationem, ait: *Erat plena in se, & sufficiebat talis gratia pro persona Virginis; non tamen vt Dei filius incarnaretur in ipsa.* Et ideò plenitudinem gratiæ B. Virginis esse dispositionem ad Maternitatem, & ad tantum mysterium suscipiendum, asserunt P. Suarez *tom. 2. in 3. part. disp. 1. sect. 2. §. In contrarium,* & *sect. 3. conclus.* 2. Gislerius *in cap. 1. Cant.* ad ea verba, *Meliora sunt vbera*, &c. Ormachea citatus supra, §. 122. qui hauserunt ex S. Thoma *3. p. quæst. 27. art. 5. ad 2.* ibi: *In B. Virgine fuit triplex perfectio gratiæ: Prima quidem quasi dispositiua, per quam reddebatur idonea ad hoc, quòd esset Mater Christi.*

Suarez. *Gislerius.* *Ormachea* *S. Thom.*

177 Ex quibus omnibus concluditur, plenitudinem gratiæ proportionatam esse debere cum eo infinito mysterio, ad quod suscipiendum animam B. Virginis disponebat; atque adeò

esse

esse non posse finitam, & limitatam talem gratiam. Et sanè exigua videretur ea dispositio ad tam infinitum opus, si non esset quanta possibilis est in pura creatura: & largitas Sancti Spiritus videretur non ita magnificè demonstrata, si ad maximum omnipotentiæ opus in Virgine operandum, non infudisset maximam dispositionem possibilem.

Totus hic discursus est S. Bernardini Senensis *tom. 1. concion. 61. art. 1. cap. 12.* vbi ita disserit: *Quòd Deus generet Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cùm ei ex natura conueniret, vt per viam naturæ intellectus produceret Verbum per omnia sibi æquale: imò impossibile est, quòd non generet Deum, propter suam fœcunditatem. Sed quòd fœmina conciperet, & pareret Deum, est, & fuit miraculum miraculorum: oportuit enim, vt sic dicam, fœminam eleuari ad quamdam æqualitatem Diuinam per quamdam quasi infinitatem perfectionum & gratiarum.* Dixit autem, *quasi infinitatem*, vt excludat infinitum in perfectione, & secundùm essentiam; quod est proprium solius Dei: quod in simili pro aliis Doctoribus sæpius notaui. Maximè cùm mens S. Bernardini tam apertè pro hac infinitudine constet ex §. 62. & 118. 178 *S. Bernardin.*

Eodem discursu vsus est quidam antiquus Doctor Guilielmus apud Bartholomæum de Pisis *lib. 3. de laudib. B. Mariæ, fruct. 4. pag. mihi* 406. illis verbis: *Cùm generare Filium Dei, non sit per naturam, sed per gratiam, sitque summus actus, sicut in anima Christi exigebatur summa* 179 *Guilielm. Pisanus.*

summa gratia ad talem vnionem; *sic & (* supple,in Maria*)ad Incarnationem fiendam: ideoque Spiritus Sanctus superuenit in eam.* Reputant ergo hi duo Doctores efficacem rationem ad infinitam, & summam gratiam in Virgine collocandam, quòd ea gratia fuerit dispositio ad infinitum,& summum mysterium.

Suffragatur etiam apertè huic discursui Al-
180 *Albertus.* bertus Magnus,qui *lib.de laudib.Virg.cap.*78. hæc habet: *Cùm dans det secundùm rationem, & ratio respiciat finem*; *maius donum dat, qui dat ad maiorem finem. Vt Imperator magis dat, cui daret donum ad essendum Senatorem, quàm cui daret ad essendum simplicem seruientem. Sed Beatissimæ Virgini dabatur donum ad essendum Matrem Dei*; *omnibus autem aliis dabatur gratia ad essendum seruum Dei: sicut ergo improportionabiliter maius est,esse Matrem Dei, quàm seruum Dei,ita improportionabiliter maius est donum, quod datur ad essendum Matrem Dei, quàm ad essendum seruum Dei. Sed donum,in quo omnia alia donantur, est charitas: ergo charitas Beatissimæ Virginis est improportionabiliter maior charitate omnis creaturæ.* Ex quibus verbis constat, charitatem, seu gratiam habituatem esse datam B. Virgini in ordine ad Maternitatem, & tanquam dispositionem ad illam. Ex quo colligit,illam esse debere improportionabiliter maiorem charitate cuiuslibet creaturæ, imò & summam possibilem in pura creatura. Et memento apud Albertum, *improportionabiliter*, idem esse, ac *infinitè*. Vide §.109.

CAP.

CAPVT XVI.

Octauum argumentum ex eo desumptum; quòd B. Virgo habuerit actus infinitè meritorios.

181 OCtauum argumentum est. B. Virgo independenter à gratia infinita dignificante, habuit actus infinitè meritorios: ergo per hos actus potuit mereri sibi gratiam simpliciter infinitam, illamque habere, saltem titulo meriti actualis, quando reliqui tituli deessent. Consequentia patet; nam actus supernaturales B. Virginis, sicut, & cuiuslibet iusti, gratiam habitualem merentur sibi proportionatam: ergo si actus sunt infiniti valoris, gratia illis correspondens debet esse infinita.

182 Antecedens probatur in actu supernaturali, quo B. Virgo voluit efficaciter cooperari Incarnationi Verbi Diuini; quem fuisse infiniti valoris, & meriti, iam ostendo.

183 Et pro explicatione excellentiæ eius actus, suppono id, quod Sanctis Patribus commune est, scilicet assensum B. Virginis ad opus Incarnationis ita necessarium fuisse ex vi præsentis decreti, vt nullatenus incarnaretur Verbum, nisi B. Virgo præstaret assensum. Huius doctrinæ assertor est S. Augustinus

Verbum non incarnaretur, si B. Virgo nō præstaret assensum. S. August.

M *serm.*

serm. 21. *de Temp.* vbi ita habet : *Responde iam Virgo sacra. Vitam quid tricas mundo? Assensum tuum Angelus prastolatur ; inde est, quòd nuncius iste moratur.* Præstolabatur ergo Angelus assensum Virginis tanquam necessarium, ne vita mundo impediretur, & tricaretur. Et ibidem postulans iterum assensum Virginis, sic prosequitur : *Pande sinus roseos Virgo perpetua : fides tua modò aut aperit cœlum, aut claudit.* Id est, quòd cœlum aperiatur hominibus, aut clausum maneat, ab actu fidei tuæ dependet. Quod idem repetit *serm.*18. aliàs 17. vbi postquàm dixisset eadem verba, *Vitam quid tricas mundo?* post pauca subdit : *O B. Maria, sæculum omne captiuum tuum deprecatur assensum: te apud Deum mundus suæ fidei obsidem fecit. Noli morari Virgo, nuncio festinanter responde Verbum, & suscipe filium : da fidem, & senti virtutem.* Ecce captiuum sæculum assensum Virginis desiderans, vt captiuitatem euaderet. Ecce desiderata festinatio responsionis, vt filius suscipiatur : quæ satis apertè indicant necessitatem responsionis ad libertatem captiuorum, & ad filium suscipiendum. Id quod ibidem breuiùs explicat, dum ait : *Singulari tuo assensu mundo succurristi perdito.*

184 *S. Bernard.* S. Bernardus rem hanc latè prosequitur *homil.*4. *super Missus est*, in hæc verba : *Expectat Angelus responsum ; tempus enim est, vt reuertatur ad Deum, qui misit illum. Expectamus, & nos, ô Domina, Verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis.*

tionis. Et ecce offertur tibi pretium ſalutis noſtræ: ſtatim liberabimur, ſi conſentis. Lege, obſecro, totum contextum, quem fuſiori calamo proſequitur Bernardus, multis modis oſtendens, quàm ſit neceſſarius aſſenſus Virginis ad mundi redemptionem, & ad Incarnationis myſterium peragendum. Et tandem ſic concludit: *Deſiderat* (Deus) *reſponſionis aſſenſum, in qua nimirum propoſuit ſaluare mundum.* Ecce verbum *propoſuit*, quod idem eſt, ac *decreuit*.

Hoc ipſum docet S. Thomas *3. part. quæſt. 30. art. 1.* vbi ſic habet: *Congruum fuit, B. Virgini annunciari, quòd eſſet Chriſtum concepturá*, &c. *Ut oſtenderetur eſſe quoddam ſpirituale matrimonium inter filium Dei, & humanam naturam; & ideò per annunciationem expectabatur conſenſus Virginis loco totius humanæ naturæ.* Ex quibus verbis patet, non fuiſſe exequendam Incarnationem, niſi in hoc ſpirituali matrimonio nomine totius humanæ naturæ B. Virgo præſtaret conſenſum liberum. Congruum itaque fuiſſe dicitur, quòd annunciaretur; ſed ſuppoſita voluntate Dei de annunciatione ad hoc matrimonium ſpirituale celebrandum, neceſſarius erat iſte conſenſus B. Virginis, ſine quo Deus re ipſa non incarnaretur, nec ſpirituale matrimonium celebraretur, ad quod conſenſus contrahentium omninò neceſſarius eſt. 185 S. Thom.

Idem inſinuat S. Ildephonſus, dum *ſerm. 1. de Natiuit. B. Virg.* loquentem ſic Angelum inducit: *Non expaueſcas partum, Virgo, nec* 186 S. Ildeph.

metuas, neque multùm sis in experta formidine: tantum crede, & concepisti; ama, & peperisti. Idest, si credis, concipies; si amas, paries: tanquam fides, & amor necessaria sint ad concipiendum, & pariendum: fides, inquam, & amor in illo actu consensus, *Ecce ancilla*, exercita, & inclusa.

187 *Laur. Iust.* Clariùs adhuc expressit S. Laurentius Iustinianus *serm. de Annuntiat.* loquens de isto consensu Virginis. Ait enim: *Isto vnico responso compleuit cœlum gaudio, Angelis omnibus exultationem prabuit, captiuo saculo spem dedit, dæmones vniuersos exterruit, astantem lætum fecit nuncium, ac detentis in inferno Patribus libertatis gratiam repromisit. Affectu quippe auido, extensis in cœlum manibus, propatulo cordis auditu, huiuscemodi prastolabantur responsum. Erat enim illis pra libertatis amore diuturna nimis expectatio, pauidaque obseruatio, ne ob humilitatis virtutem reniteretur Virgo, consensumque negaret.* Quæ omnia euidenter ostendunt, quam necessarius fuerit ad Incarnationem iste consensus: esset enim otiosa illa *pauida obseruatio* Patrum, *ne reniteretur Virgo, consensumque negaret*; si consensus B. Virginis non esset necessarius.

188 *S. Bonau.* Id ipsum docet S. Bonauentura *in Meditat. vita Christi*, vbi ait: *Meditare, qualiter tota Trinitas est ibi expectans responsionem, & consensum huius sua filia singularis.* Scilicet tanquam necessarium ad mysterium perficiendum: Item Hugo de S. Caro *in cap. 8. Cant.* ad ea verba, *Fac me audire vocem tuam.* *Hugo Car.*

Vbi

Vbi addit: *Illam*, scilicet, *Ecce ancilla Domini.* Et post pauca: *Hæc vox toti mundo attulit medicinam, & ideò benè desiderari debebat.*

189 *Guilielm.* Guilielmus Parisiensis Episcopus, apud Delrio *in Cant. ad cap.* 4. *vers.* 11. in interpretatione de Deipara latè prosequitur hanc necessitatem Mariani consensus. Perpende præsertim ea verba: *Vt ei humanæ redemptionis mysterium penderet, atque eius consensum, & cooperationem flagitaret. Nolebat enim Omnipotens carnem sumere ex ipsa, non dante ipsa; sicut sumpsit de dormiente, & non dante Adam, vnde formauit Euam. Ad futuræ matris excellentiam, non tantùm ex ipsa carnem sumere, sed etiam ab ipsa volebat.* Et post pauca: *Nisi fidem ore expresseris, non accipiet de te Altissimus hostiam salutis.*

190 *Isaiæ* 45. *Abulens.* Abulensis *paradoxo* 1. §. 2. eandem doctrinam asserit, quam probat ex eo Isaiæ capite 45. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Circa quæ ita ait: *In quibus verbis expressit Propheta duo, sine quibus aduentus Messiæ nequaquam fieret. Primum est voluntas Diuina mittens Saluatorem,* &c. *Secundum erat voluntas Virginis consentiens vt fieret Mater Dei.* Et post pauca: *Si enim ipsa ad eum recipiendum per consensum aperta non fuisset, nunquam Christi genitrix extitisset.*

191 *Damasc. Irenæus. Antonin. Bernardin.* Idem expressè docent S. Damascenus *lib.* 3. *de fide, cap.* 2. S. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 33. S. Antoninus 4. *part. tit.* 15. *cap.* 29. §. 2. S. Bernardinus

nus *tom.4. serm.9.* in extraordinariis, *in 3. flam. §. vlt.* Petrus Blesensis *serm.19.* qui est *de Annunciat.* Ioannes Gerson *tractat.4. super Magnificat.* Pelbartus multis in locis, sed præcipuè *lib.2. stellar. part.1. art.1. cap.3.* maximè iis verbis: *Certè nisi credendo assensum præbuisset, nunquam Christum concepisset.* Siluester *in Rosa Aurea, serm. in fer.4. post Dominicam 3. Aduent.* allegans S. Th. *3. part, quæst.30.* Dionysius Richelius *lib.3. de laudib. Virg. art.24.* Bernardinus de Busto *5. part. Marial. serm.3. part.3.* Bartholomæus de Pisis *lib.2. de Laudib. B. Mariæ, fruct.16.* Gabriel Biel *serm. de Assumpt.* P. Alphonsus Salmeron *tom.3. in Euang. tract.4. initio*, Card. Toletus *in cap.1. Luc. annot.112.* & in M. S. *concione 15. super Missus est*, maximè iis verbis: *Sine quo* consensu *quamvis fieri potuisset, tamen non esse facturum aliàs, decreuerat ab æterno Altissimus.* P. Ioannes Maldonado *in cap.1. Luc.* ad ea verba: *Fiat mihi.* Nicolaus Sanderus *lib.6. de claue Dauid, §. Angeli quidem*, P. Benedictus Fernandez *tom.1. in Genes. cap.1. sect.7. num.8.* Chrysost. à Visitatione *tom.1. de Verbis Dominæ, lib.2. cap.1. & 16.* P. Vasconcellos *de Angelo Custode, part.2. lib.3. cap.8. part.9. num.4.* Rutilius Benzonius *lib.1. in Magnif. cap.18. §. Sed idem.* Ludouicus Granatens. *tom.1. de festis Sanctorum, serm. de Expectat. numero 10.* & *serm.1. de Annunciat. numero 36.* & habetur in Reuelationibus Amadei, *Raptu 5. §. Tunc ego dixi.* A quorum omnium verbis recitandis

Blesensis. Gerson. Pelbart. Siluester. Richel. Busto. Pisanus. Gabriel. Salmeron. Toletus. Malden. Sanderus. Fernand. Chrysost. à Visit. Vasconcel. Benzon. Granat. Amadeus.

recitandis abstineo, vitandi tædij causâ.

Suppono secundò, hunc consensum fuisse 192
actum efficacem, quo voluit B. Virgo præstare concursum ad Incarnationem Verbi Diuini. Cùm enim Deus executionem huius mysterij in libera potestate B. Virginis constituerit, vt ex proxima præcedente annotatione constat; consequens est, vt B. Virgo se determinaret, vt vellet exequi, & ad Diuinum illud mysterium cooperari. Itaque cùm mysterium Incarnationis à duobus operandum esset, & à Spiritu Sancto vt authore præcipuo, & à B. Virgine cooperante; consensus (quem Spiriins Sanctus expectabat, & B. Virgo præstitit) terminatus ad operationem, vtrumque debebat amplecti. Consensit ergo, quòd Spiritus Sanctus operaretur, & voluit ipsa operari.

Iste consensus fuit voluntas efficax concurrendi ad Incarnationem.

Huic asserto suffragantur illi, qui dicunt, 193
eum actum B. Virginis fuisse desiderium: quod cùm fuerit rei in sua potestate, & sub libero eius arbitrio constitutæ, sine dubio fuit desiderium efficax. Talis enim actus non est merus consensus circa rem, in quam aliquis est liberè præstiturus consensum suum, sed potiùs voluntas efficax. In eo autem actu rationem desiderij agnoscunt S. Beda, & Euthimius (apud Maldonatum in ea verba Lucæ, *Ecce ancilla*) S. Ambrosius *lib. 2. in Lucam*, ad ea verba, *Ecce ancilla.* S. Athanasius Alexandr. *ferm. de Annunciat.* ad eadem verba B. Virginis, S. Augustinus *ferm. 2. de Natiuit. B. Mariæ*, quatenus eum actum, *Ecce ancilla,*

Euthimius Ambros. Athanas. August.

ancilla, explicat per varios affectus desiderantis proprios. Sic enim ait: *Contingat mihi, ô Gabriel Archangele, secundùm verbum tuum: veniat ad cubiculum suum qui in sole posuit tabernaculum suum: oriatur mihi virgini permanenti Sol iustitiæ. : : : Egrediatur sicut splēdor iustus Deus; & Saluator sicut facula accendatur*, &c. *Procedat iam ad oculos hominum speciosus formâ præ filiis hominum.*

194 Ita etiam videntur sentire omnes illi, qui huic consensui libero B. Virginis tribuunt efficaciam operandi mysterium Incarnationis. Quæ efficacia licèt posset intelligi dumtaxat per modum meriti; at supposito quod Deus in potestate libera Virginis à Spiritu Sancto præuentæ posuerit Incarnationis executionem, multò meliùs intelligitur de efficacia, quâ voluit tantæ rei executionem. Hanc efficaciam agnoscit in eo consensu B. Virginis Albertus Magnus *lib. de laudib. virg. capite* 75. vbi ait: *Corpus Dominicum mediante eius verbo, & consensu, de carnibus, & sanguinibus ipsius formatum fuit.* S. Bonauentura *in Speculo*, *lect.* 18. alludens ad ea Isaiæ verba, *Creaui fructum, labiorum pacem*, ait: *Fructus ventris Mariæ benè potest dici fructus labiorum Mariæ, quia dum de labiis suis stillaueruut verba melliflua illius, Ecce ancilla Domini, statim cepit mellifluum fructum suum.* Et ne intelligas solùm materialiter de labiis, aut de vocali verbo, sed præcipuè de actu interno, *Ecce ancilla*, quo efficaciter voluit. B. Thomas de Villanoua *concione* 1. *de Annunciat*,

Albertus.

Bonauent.

Th. à Vill.

ciat. in eandem ſententiam ita loquitur : O *Fiat potens ! ô Fiat efficax ! ô Fiat ſuper omne fiat perpetuo honore venerandum. Hoc verbo, Fiat, factus eſt mundus : hoc verbo cæleſtia, terreſtriaque Altiſſimus condidit. Sed tale Fiat non ſonuit in orbe, quale tu nunc Beata dixiſti. Quid enim factum eſt ? Quis dicere poteſt, quid factum eſt ?*

S. Antoninus *part.*4. *tit.*15. *cap.*24. §.2, eamdem efficaciam agnoſcit in conſenſu Virginis : *Mariam intuens penſet, qualis fuerit, cui creditum eſt, ſolo verbo Verbum carnem efficere.* Pelbartus *lib.*7. *Stellarij, part.*3. *art.*3. §. *Miraculum,* id ita aſſeruit : *Ipſa miraculum omnium miraculoſiſſimum, & nobiliſſimum, ſanctiſſimum, & incomprehenſibiliſſimum fide ſuâ mediante legitur feciſſe : cum ad vnum Verbum conſenſus, dicendo, Ecce ancilla Domini, fiat mihi, &c. Deus factus eſt homo.* Idem dixit Bernardinus de Buſto 4. *p. Marial. ſerm.* 12, *part.* 3. deſumptis Verbis à S. Bonauentura proximè citato. Quod paſſim in aliis Patribus, & Doctoribus inuenies. 195 *Antonin.* *Pelbart.* *Buſto.*

Suppono tertiò, terminum eius concurſus materni, & voluntatis efficacis eſſe ſimpliciter infinitum. Talis enim terminus eſt ſuppoſitum ex natura diuina, & humana conſtitutum. Nam eodem modo, quo B. Virgo eſt Mater Dei, eſt etiam veriſſimum, quòd concurſus B. Virginis terminatus fuerit ad hoc ſuppoſitum Chriſtum Dominum; quia actiones ſunt ſuppoſitorum, & ad ſuppoſita terminantur. 196 *Terminus eius actûs. eſt quid infinitum.*

197 His prænotatis,probatur primò, actum il-
Illum actũ esse infiniti meriti. lum efficacem, quo voluit B. Virgo concurrere ad Incarnationem,esse infiniti valoris,& meriti. In intelligibile est,quomodò non sit infiniti valoris facere opus infinitum,imò,&
Prima probatio. omnium infinitorum possibilium supremum: ergo actio B. Virginis terminata ad tale opus erit infiniti valoris: & cùm omnino fuerit sub pleno libertatis dominio, nihil deerit ad meritum infinitum.

198
Secunda. Probatur secundò. Filius refundit infinitatem in Maternitatem Dei, vt latè probaui *disp.præcedenti*: ergo refundit infinitatem in ipsam generationem maternam filij Dei. Probatur consequentia. Nam vt clamat Philosophia,*Propter quodvnumquodque tale, & illud magis tale.* Sed excellentia, & æstimabilitas infinita, quam habet Maternitas, est propter actum generandi Filium Dei: ergo actio generatiua Filij Dei non minùs participat eiusmodi æstimabilitatem infinitam. Et cùm actus internus participet totam æstimabilitatem moralem, quam habet externus, fit actum illum efficacem B. Virginis participare infinitam æstimabilitatem,& valorem. Et hinc fit, quòd omnes rationes allatæ disput. præcedenti pro infinitudine Maternitatis,tam quæ desumuntur ex calculatione, quàm quæ ex titulo physico,instaurari possunt pro infinitudine eius actionis; cùm eadem sit ratio de generatione materna,ac de Maternitate.

199 Probatur tertiò.Nam,vt *disput. præcedenti*
Tertia. dixi, §.78. quamvis terminus infinitus Diuinus

nus non refundat infinitatem in reliquos actus, aut potentias respicientes illum extrinsece; bene tamen in causam efficientem, & actionem illius: eo quòd producere effectum in se immediatè infinitum, arguit infinitam excellentiam in causa, & in operatione. Etenim si per impossibile aliqua creatura posset actiuè producere Spiritum Sanctum, talis actio sine dubio esset infinitæ excellentiæ, sicut & potentia productiua illius: ergo Christus Dominus vt terminus generationis Maternæ refundit infinitatem in actionem Matris.

Probatur quartò. Actio Spiritus Sancti terminata ad Incarnationem non consideratâ dignitate personæ operantis, sed attentâ solùm vt actiua illius actionis, est infinitè æstimabilis, & si posset habere reliquas circumstantius requisitas ad meritum, esset infinitè meritoria: ergo similiter actio Matris, qua Filium Dei generauit, est infinitè æstimabilis. Consequentia probatur. Ideò enim actio Spiritus Sancti cum ea præcisione considerata est infinitè æstimabilis, quia facit opus illud infinitum: sed actio B. Virginis facit etiam idem opus infinitum: ergo actio B. Virginis est quoque infinitè æstimabilis. 200 *Quarta.*

Probatur quintò. Dispositionem moralem, quâ homo se disponit ad aliquod beneficium gratiæ suscipiendum, oportet esse proportionatam cum tali gratiæ beneficio, vt ex capite præcedenti constat: atqui actus ille, quo B. Virgo dixit, *Ecce ancilla Domini*, &c. fuit dispositio 201 *Quinta.* *Is actus fuit dispositio ad incarnationē.*

dispositio moralis, quâ B. Virgo se præparauit ad Incarnationem in se suscipiendam, & ad cooperandum ad illam: ergo oportuit, eum actum aliquam habere proportionem cum eo Incarnationis beneficio. Atqui quam proportionem haberet actus valoris finiti cum beneficio gratiæ simpliciter infinito, qualis est Incarnatio Verbi operanda in Virgine?

202 *Antonin.* Quòd verò is actus fuerit moralis dispositio ad illam, obseruauit S. Antoninus 4. *part. tit.* 15. *cap.6.* §.2. his verbis: *Vltima gratia perfectionis est præparatio ad Filium Dei concipiendum: quæ præparatio fuit per profundam humilitatem; quod ipsa insinuat, dicens: Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Ibi enim expressè loquitur de eo actu, *Ecce ancilla Domini.* Sicut & *cap.*8.§.3. ibi: *Et sic videtur, quod humilitas B. Mariæ fuerit præparatoria ad Conceptionem. Vnde & B. Augustinus dicit, quòd humilitas genuit nobis Deum.* *S. August.* Quod idem docuerunt Card. Toletus *in cap.*1.*Luc.annot.*122.Iansenius *in concordia, cap.*3.Rutilius Benzonius *lib.*2. *in Magnif. capit.* 16. *dub.*5. §. *Et quidem.* Et plures alij. *Toletus. Iansen. Benzon.*

203 *S.Bernard.* Et ideò S. Bernardinus *tom.* 2.*serm.*51. *art.*3.*cap.*1. dixit, hunc consensum infinito interuallo superare reliqua omnia merita creaturarum: quod idem est ac dicere, illum fuisse infiniti meriti. Verba eius sunt: *Si quis autem considerat Virginei consensûs ad tantum mysterium* (scilicèt Incarnationis) *finalem terminum,*

minum, clarè intelliget, quòd omnis dignitas, & perfectio inclusa in hoc, quod est esse Matrem Dei, tam mente, quàm carne, comprehenditur in eo. Quod quidem transcendit in merito in infinitum, quidquid aliud sub Deo homine cogitari, vel dici potest. Ecce meritum Virginei consensus transcendit in infinitum omnia merita creaturarum, non solùm existentia, sed etiam possibilia, & cogitabilia sub meritis Christi Domini.

Quod statim probat ex ratione, quam suprà tradidimus, desumptâ ex eo, quod terminus eius consensûs sit ipsa Verbi Incarnatio. *Si igitur*, inquit, *terminus tam ineffabilis fuit suo merito proportionatus, oportet, quòd meritoria perfectio huius consensûs fuerit perfectioni sui termini comproportionata.* Id est, oportet, quòd sicut terminus est infinitus, ita consensus ad illum terminatus sit etiam infinitus. 204

Et Guilielmus ille, quem citat Bartholomæus Pisanus *lib. 3. de laudib. Virg. fruct. 4. pag.* 406. vt retuli §. 179. dixit, hanc actionem generandi Deum hominem esse summum actum possibilem; atque adeò prærequirere in Virgine summam gratiam possibilem in pura creatura, illis verbis: *Cùm generare Filium Dei non sit per naturam, sed per gratiam, sitque summus actus; sicut in anima Christi exigebatur summa gratia ad talem vnionem, sic & in Maria ad Incarnationem fiendam; ideóque Spiritus Sanctus superuenit in eam.* 205 Guilielm.

Item

106 *Bonauent. Busto.* Item S. Bonauentura, quem refert, & sequitur Bernardinus de Busto 12. *part. Marial. serm. 2. part. 1. in 23. excellentia*, ait, hunc actum, B. Virginis excedere omnia merita, quæ possibilia sunt in omnibus puris creaturis. Ecce verba Bernardini: *Dicit quoque S. Bonauentura in 3. dist. 4. art. 2. quæst. 2: quòd B. Virgo plus meruit dicendo humiliter, Ecce ancilla Domini, quàm simul mereri possent omnes puræ creaturæ.* Constat autem, necessariò fore summum meritum possibile in pura creatura illud, quod superat omnia merita collectiuè, quæ in puris creaturis sunt possibilia, consequenterque illud esse debere infinitum, iuxta dicta *cap. 1.*

107 *Pelbartus.* Et in eodem sensu accipio Pelbartum *libro 1. Stellar. part. 3. art. 3. cap. 12.* vbi ait: *Ex hoc etiam patet, maximum esse Virginis benedictæ meritum; cùm vnico isto consensu maius meruerit, quàm totus mundus, & omnes Sancti, & Angeli Dei*, scilicet mereri potuerint. Cùm enim Doctor iste in aliis actibus B. Virginis admittat infinitum, & summum possibile, vt videbimus §. 336. ita videtur in hoc actu admittere, quem tantopore extollit.

108 *Isti actui attribuunt S. Patres redemptionem mundi.* Neque miraberis, quòd huic actui, *Ecce ancilla Domini*, &c. tantùm tribuamus; cùm Sancti Patres eidem actui singulari modo attribuant redemptionem mundi, & destructionem peccati, licèt secundariò post Christum. Hi sunt *Tertul.* Tertullianus *lib. de Carne Christi*, *August.* S. Augustinus *serm. 18. de Sanctis*,

S. Damascenus *orat.* 1. *de Natiuit.* S. Irenæus *lib.* 3. *aduersus hæreses, cap.* 33. & *lib.* 5. *capite* 19. Richardus de S. Laurent. *lib. de laudib. Virg. initio*, S. Bernardinus *tom.* 3. *serm.* 5. *de B. Maria, artic.* 1. *capite* 1. & Bartholomæus Pisanus *libro* 2. *de Laudib. Virg. fruct.* 6. quorum verba inferiùs producam, à §. 406. Et videtur hoc idem insinuasse S. Elizabetha, cùm dixit B. Virgini: *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Id est, quia credidisti (scilicet per hunc actum, quem modò commendamus) perficientur in te omnia, quæ promissa sunt tibi à Domino. Sed quænam hæc omnia, quæ actui fidei B. Virginis attribuuntur? Scilicet quòd filio eius dedit Deus sedem Dauid, & quòd regnabit in domo Iacob in æternum; in quo sine dubio mundi redemptio, & saluatio significatur.

Damasc. *Irenæus.* *Ric. S. Lau.* *Bernard.* *Pisanus.*

209 Dices. B. Virgo per generationem Maternam non concurrit actiuè, sed solùm passiuè: ergo B. Virgo non est causa efficiens sui filij. Corruit ergo fundamentum huius infinitudinis. Sed huic oppositioni abundè satisfactum est *disp.* 1. §. 78.

CAP.

CAP. XVII.

Nonum argumentum ex eo, quòd B.Virgô sit principium vniuersale donorum gratiæ.

210. NOnum est. Ideò Christus Dominus habet gratiam habitualem simpliciter infinitam, quia ei data est, sicut vniuersali principio gratiæ: sed etiam B.Virgini data est, sicut vniuersali principio gratiæ, licèt inferiori quodam modo, & infinitè distanti: ergo simili proportione B.Virgini concedenda est gratia habitualis simpliciter infinita, quamvis longè inferior gratiâ habituali Christi.

211. S.Thom. Maiorem docet S.Thomas *3.part.quæst.7. art.* 1. *in corp.* ibi: *Gratia Christi potest dici infinita, eo quòd non limitatur: quia scilicet habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiæ, & non datur ei secundùm aliquam mensuram id, quod ad rationem gratiæ pertinet: eò quòd secundùm propositum Dei, cuius est gratiam mensurare, gratia confertur animæ Christi, sicut cuidam vniuersali principio gratificationis in humana natura, secundùm illud Ephes.*1. *Gratificauit nos in dilecto Filio suo.* Ratio ergo D.Thomæ hæc est. Cùm Dei proprium sit gratiam distribuere secundùm propositum suum, id est, secundùm finem, ad quem ordinat vnumquemque; expediens fuit,

vt non daret gratiam secundum certam aliquam mensuram ei, qui verè erat vniuersale principium gratiarum, ex cuius plenitudine omnes accepturi erant; & quod ita vniuersale erat, vt esset sufficiens ad omnes homines iustificandos, etiamsi infiniti essent; quale est Christus Dominus.

Minorem verò communiter tradunt Sancti Patres, dum vno ore fatentur, sicut Christus Dominus adinstar capitis influit in omnes homines omnia genera gratiarum; ita B. Virginem ad instar capitis secundarij, vel potiùs ad instar colli, & gutturis Ecclesiæ influere omnia dona gratiarum in homines, esseque vniuersale principium donorum gratiæ. Ita S. Bernardus *serm. de Aquaduct. ante med.* ait: *Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur; quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Et *ibid.* sic: *Totius boni plenitudinem posuit in Maria, vt proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare.* Ecce quomodò omnia bona gratiæ nobis per Mariam deriuantur. Et *serm. 1. in Salue Regina,* ait: *Iam in hoc conuenienter vocatur Regina misericordiæ, quòd Diuinæ pietatis abyssum, cui vult, quando vult, & quomodo vult, creditur aperire.* Et *serm. de Signo magno*, sic: *Vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam,* &c. Idem repetit *serm. 3.* 212 S. Bernard.

N in

in vigilia Natiuit. & *serm. 2. de Assumpt. & homil. 2. super Missus est*, & passim alibi.

213. S. Anselm. Hoc idem satis clarè indicat S. Anselmus *lib. de Excell. Virg. cap. 12.* dum ordinem gratiæ arbitrio, & dominio Deiparæ subiicit, asserens: *Tantummodò itaque velis salutem nostram, & verè nequaquam salui esse non poterimus.* Nomine autem salutis æternæ omnem ordinem gratiæ ad beatitudinem ducentis intelligit.

214. S. Hieron. Dilucidè id profitetur S. Hieronymus *ser. de Assumpt.* inquiens: *In Christo fuit plenitudo gratiæ, sicut in capite influente; in Maria verò sicut in collo transfundente.*

215. S. Bonau. Docet S. Bonauentura *in specul. lect. 3.* dum ex mente Bernardi B. Virginem Soli comparat, nihilque lucis nos habituros esse ait, nisi ab ipsa, illis verbis: *Quid enim totus mundus haberet, si Solem non haberet? Propter hoc benè Bernardus ait: Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum: vbi dies? Tolle Mariam hanc maris Stellam: quid nisi caligo inuoluens, vmbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquerentur?*

216. Richard. de S. Laur. Richardus de S. Laurent. *lib. 4. de laudibus Virginis*, id ipsum ita asserit: *Maria vera est, & vnica Filij imitatrix: ex quo ascendit in cœlum, dabit & ipsa dona hominibus; siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas.*

217. S. Bernar. S. Bernardinus *tom. 1. serm. 61. art. 1. cap. 8.* dilucidis terminis hanc propositionem expressit: *A tempore enim*, inquit, *à quo Virgo Mater concepit in vtero Verbum Dei, quam-*

dam

dam, vt sic dicam, iurisdictionem, seu authoritatem obtinuit in omni Spiritus Sancti processione temporali: ita quòd nulla creatura aliquam à Deo obtinuit gratiam, vel virtutem, nisi secundùm ipsius piæ Matris dispensationem. Et paulò inferiùs: *Ideò omnia dona, virtutes, & gratiæ ipsius Spiritus Sancti, quibus vult, quando vult, quomodò vult, & quantum vult, per manus ipsius administrantur.*

B. Petrus Damianus idem asserit *serm.* 44. 218 *Pet. Dami.*
de Natiu. B. Mariæ, col. 4. *In manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini: & sola electa es, cui gratia tanta conceditur.*

S. Ildephonsus *in Corona Virginis, cap.* 15. 219 *S. Ildeph.*
agens de bonis, quæ Deus hominibus confert, ait: *Omnia bona, quæ illis summa Maiestas decreuit facere, tuis manibus decreuit commendare. Commissi quippè sunt tibi thesauri sapientiæ & scientiæ, iocalia charismatum, decoramenta virtutum, ornamenta gratiarum. Cùm igitur ex his bonis super nos feminas, sterilitatem nostram fœcundas,* &c.

Albertus Magnus *in cap.* 2. *Cant.* ad ea ver- 220 *Albertus.*
ba, *Introduxit me Rex in cellam vinariam,* ait: *Ipsa est etiam cellaria totius Trinitatis, quæ de vino Sancti Spiritus propinat cui vult, & quantum vult, & quandò vult.*

Et in reuelationibus Amadei, *Raptu* 8. dixit 221 *Amad.*
S. Gabriel: *Itaque nullum bonum, nulla gratia, nullum priuilegium à capite illo in corpus, nisi per hoc mirabile collum, quod est Virgo Dei genitrix Maria, descendit.* 222

Daniel Agricola *in stella* 3. *coronæ* 8. ait: *Dan. Agri.*

Reginam etiam cœlestis Regni, vbi plenariam habet potestatem, quoscumque voluerit introducendi, quidquid voluerit imperandi, quidquid à Filio petierit obtinendi.

223. Alanus. Alanus Varenius *serm.* 1. *de Deipara*, ita asserit: *Mater omnium gratiarum, & vniuersorum charismatum, & donorum admiranda Regina, quæ omnia singulari priuilegio donare potest, & pro diuerso cuiusque captu passim omnibus abundè largiri.*

224. Adam. de Perl. Adamus de Perlenia (apud Tilmanum *in allegoriis vtriusque Testamenti, ad cap.*24.*Ecclesiastici*, ad ea verba, *Ego quasi oliua*) ita ait: *Diuitiæ salutis sapientia,& scientia penes Virginem nostris vsibus reseruantur.* Et infrà: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum venit de corde Patris Christus in cor Virginis, & in Virginis vtero pauperum gazophilacium collocauit. Inde pauperes spiritu locupletati sunt, quos mundi superbia vanitate & mendacio non ditauit.* Quibus similia in Sanctis Patribus passim reperies.

Nec mirandum est, quòd omnium gratia-
225. rum communicationem sub potestate Virginis Deus constituerit; cùm ipsam Verbi Diuini Incarnationem ipsius arbitrio subiecerit, vt *cap.*16.ex communi Patrum sententia pro-
S. Irenæus. bauimus. Quam rationem tetigit S. Irenæus (apud P.Salazar *in cap.*31. *Prouerb. n.*178.) his verbis: *Quid est, quòd sine Mariæ consensu non perficitur mysterium Incarnationis? Quia nempè vult illam Deus omnium bonorum esse principium.*

Sed

Sed & consequentiam ipsam Sancti Patres eliciunt, disertè asserentes, ideò totam gratiæ plenitudinem in Maria constituendam esse, quia est vniuersale principium, vnde omnes rationales creaturæ dona gratiæ participant. Ita Hieronymus *serm. de Assumpt.* illis verbis: *Ob quod Dei genitrix electa & praelecta iure ab Angelo gratia salutatur, & prædicatur plena verè plena, per quam largo Spiritus Sancti imbre perfusa est omnis creatura.* Et postquam dixit, cæteris per partes datam esse gratiam; Mariæ verò totam gratiæ infusam plenitudinem; id factum ita esse probat ex eo, quod fuit gratiarum vniuersale principium, in hæc verba: *Talibus decebat Virginem oppignorari muneribus, vt esset gratiâ plena; quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum, pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, ordinem vitæ, ac moribus disciplinam.* Id est, decet, inesse totam gratiæ plenitudinem ei, qui est omnium gratiarum vniuersale principium. Quod ibidem repetit, dum ait: *Quid mirum, si tam in cœlo, quàm in mundo eius plenitudo super omnem creaturam sit, de cuius plenitudine omnis creatura virescit?* 672 Hieron.

227. S. Bernard. Ad eundem finem, & effectum refert Mariæ plenitudinem S. Bernardus *serm. 2. de Assumptione*, vbi inquirens, quare, cùm gratiâ plena dicta fuerit, rursus superuenturum dixit Spiritum Sanctum, sic respondet quæstioni: *Quis enim vacuam dixerit, quam salutat Angelus gratiâ plenam? Neque hoc solùm, sed adhuc quoque in eam superuenturum asserit*

 Spiritum

Spiritum Sanctum: ad quid, putas, nisi vt etiam superimpleat eam? Ad quid, nisi vt aduenien- te iam Spiritu, plena sibi, eodem superueniente, nobis quoque superplena, & supereffluens fiat? Quod idem repetit *serm. de Aquaduct.* his verbis: *Spiritus Sanctus, ait, superueniet in te, & pretiosum illud balsamum tanta tibi copia, tantaque plenitudine influet, vt copiosissimè effluat circumquaque.*

228 S. August. S. Augustinus (apud D. Bonauenturam proximè citandum) eodem modo plenitudinem refert ad rationem vniuersalis principij gratiæ: *Gratiâ es plena Maria, quam apud Deum inuenisti, & per totum mundum effundere meruisti.* Et *serm. de Assumpt.* (quem alij attribuunt Ambrosio Corano) *tom. 3. Biblioth. Virg.* ait: *Plena omni gratiâ, & veritate, vt nemo sit, qui se abscondat à calore sanctitatis eius.*

229 S. Bonau. S. Bonauentura *in Specul. lect. 3.* omnis gratiæ Oceanum in Mariam influxisse, colligit ex eo, quòd fuerit vniuersale principium, ex quo ad omnes gratia defluxerit, in hæc verba: *Omnia flumina intrant in Mare, dum omnia charismata intrant in Mariam. Flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam; flumen gratiæ Patriarcharum, & Prophetarum intrat in Mariam; flumen gratiæ Apostolorum intrat in Mariam; flumen gratiæ Martyrum, Confessorum, Virginum, Doctorum intrat in Mariam; omnia denique flumina intrant in Mariam. Sed quid mirum, si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit?*

S. Laurentius Iustinianus *serm. de Annunciat.* ex eadem vniuersalis principij ratione colligit in B. Virgine gratiæ plenitudinem. Sic enim loquitur : *Magna profectò fuit Maria gratia, exuberans, atque completa, quæ cœlis dedit gloriam, gaudium præstitit Angelis, sæculo pacem refudit, fide docuit gentes, vitiisque finem imposuit. Quomodo non est Maria, iuxta Gabrielis oraculum, plena gratiâ, quæ effecta est paradisi scala, cœli ianua, interuentrix mundi, Dei atque hominum verissima mediatrix?* Quasi dicat : quomodo non est plena gratiâ, quæ prædictis modis est gratiarum omnium principium communicatiuum? 230 S. Laur. Iust.

Eundem scopum respiciebat S. Anselmus (apud D. Bonauenturam *in Spec. lect.* 3. dum dixit : *O fœmina plena, & superplena gratiâ, de cuius exundantia respersa reuiuiscit omnis creatura.* 231 S. Anselm

Similiter S. Petrus Chrysologus *serm.* 142. illis præcipuè verbis : *Verè plenam, quæ largo imbre totam funderet, & infunderet creaturam.* Ecce, secundum Sanctos Patres, plenitudo gratiæ, quæ vt suprà probauimus, *cap.* 9. est infinitudo, & summa possibilis, arguitur in B. Virgine ex eo, quòd largo imbre, & vberrimâ copiâ gratiam effuderit super omnem creaturam. 232 Pet. Chrys.

Et hoc est, quod ipsa B. Virgo refertur dixisse B. Matildi, vt habes apud Collectorem exemplorum, *in Speculo, verb. Salutatio Angelica, exempl.* 7. ibi : *Spiritus Sanctus etiam totâ suâ diuinâ dulcedine me penetrando, tam* 233

gratiosam effecit, vt omnis, qui per me gratiam quærit, ipsam inueniat; quod innuitur per hoc verbum, Gratiâ plena. Itaque totam suam diuinam dulcedinem totius gratiæ possibilis in ea constituit, vt sit vniuersale principium, apud quod omnes quærentes gratiam inueniant.

CAP. XVIII.

Decimum argumentum petitum ex naturali debito honorandi Parentes.

234 Decimum est. Christus Dominus, etiam vt Deus, debito naturali pietatis tenetur honorare Matrem suam summo honore supernaturali, quo potest, & cuius est capax pura creatura: ergo reipsa dedit B. Virgini summum honorem supernaturalem possibilem in pura creatura, atque adeò summam gratiam sanctificantem; cùm nequaquàm dici, cogitarive possit, quòd Christus Dominus obligationi suæ naturali non satisfecerit.

235 *Christus non fuit exemptus à debito honorandi Parentem.* Et quidem quòd ab eo debito naturali honorandi Parentem non fuerit exemptus Christus Dominus, ostenditur primò ex eo, quòd hanc obligationem natura ipsa infuderit, vel in ipsa bruta animantia, nedum in rationales filios. Quam generalem, & ineuitabilem obligationem filiorum erga parentes multis

pr obat

probat P.Theophilus Raynaudus *lib.4.de vir-* ***Raynaud.***
tutibus,& vitiis,sect.3.cap.4. quam rem præ- ***Socrates.***
cipuè vrgent Socreates apud Platonem *lib.4.* ***Plato.***
de legibus, & Simplicius *in cap.37. Enchiri-* ***Simplicius.***
dij Epicteti, ab ipso Raynaudo citati.

236 Deinde quia Christum Dominum non fuisse exemptum ab ea quasi patria potestate, nedum ab hac obligatione, disertè probant P.Maldonado *in cap.2.Lucæ*, P.Salazar *tom.1. in Prouerb. cap.8. à num. 141.* P. Ripalda *tom.2.de Ente supernat. disp.79. num.59.* cui sententiæ planè patrocinantur Ambrosius, Hypolitus, Bernardus, & Petrus Damianus, vt citat Salazar allegatus. Item Ioannes Gerson, Richardus à S.Laurent. Hugo de S.Vict. S.Augustinus, S.Ildephonsus, S.Bernardinus, quos allegat P.Ripalda citatus. Et præter eos Dionysius Richelius *lib.1. de Laudib. Virg. art.15.* Antoninus *4.part.art.15.cap.17. §.4.* Gabriel infrà citandus, & Bernardinus de Busto *7.part. Marial.serm.4.part.3.* & *9. part. Marial.serm.2.in introduct.* præter Doctores inferiùs allegandos.

Maldon. Salazar. Ripalda. Ambros. Hypolit. Bernard. Pet. Dam. Gerson. Rich. à S. Laur. Hugo Vict. S. August. S. Ildeph. S. Bernard. Richelius. S. Anton. Gabriel. Busto.

237 Sufficiat pro multis dictum Petri Blesensis in instructione fidei ad Soldanum: *Concepit nempe sine pudore, peperit sine dolore, & hinc migrauit sine corruptione, iuxta verbum Angeli, vt plena, non semiplena gratia esse probaretur; & Deus Filius antiquum, quod pridem docui, mandatum fideliter adimpleret, videlicet Matrem honore præuenire.* ***Blesensis.***

238 Et suffragatur ratio. Nam hoc debitum erga parentes est naturale filiis. Si ergo in

Christo Domino deficere debuisset, id ita esset, quia argueret imperfectionem in ipso. Atqui illud non tollit, quin potiùs auget, & extollit ingenuitatem, & nobilitatem: ergo verè datur in Christo Domino debitum naturale honorandi Parentem suam.

239 *Christus etiam vt Deus tenetur debito honorandi Matrem.* Quod verò etiam vt Deus habeat hanc obligationem naturalem, certum debet esse; nam hoc debitum non potest esse solius humanitatis. Ad illud enim tenetur filius formaliter: atqui non est formaliter filius sola humanitas, sed Deus, & suppositum Diuinum ex vtraque natura constitutum: ergo suppositum Diuinum ad illud tenetur. Minor patet. Est enim fide sancitum, B. Virginem non solùm esse matrem naturæ humanæ, sed verissimè etiam esse Matrem Dei: ergo filius Mariæ verè est ipse Deus.

240 *Gabriel.* Quod assertum satis expressit Gabriel *in 3. dist. 3. quæst. 1. art. 2.* ita asserens: *Ad benignitatem pertinet Dei, Matris seruare honorem, qui legem soluere non venit, sed implere.* Cùm autem præuideret obiectionem, quòd nondum erat Mater, donec Christus nasceretur ex ea, post pauca subdit: *Nec impedit, quòd concepta nondum Mater fuit; quia quòd non fuit in exhibitione, semper fuit in æterna prædestinatione: nec enim temporaliter, sed ab æterno in Matrem electa est.* Patet ergo, quòd ad honorandam Matrem tenebatur ille, qui ab æterno sibi delegit in Matrem.

241 *Christus tenetur ho-* Quòd autem hæc obligatio sit ad tribuendum Matri summum honorem, cuius est capax

pax pura creatura, probatur. Nam ex ipsis terminis patere videtur, filium teneri ad honorandos parentes meliori modo, quo possit. Et ita asseruit S.Methodius *orat.de Purificat.* ibi: *Euge, euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur: Deo enim vniuersi debemus, tibi autem etiam ille debet. Proinde qui dixit: Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, vt is decretum à se promulgatum obseruaret, & alios excederet, omnem Matri, & gratiam, & honorem impendit.* Censet ergo S. Methodius, Christum Dominum omnem gratiam dedisse Matri, & omnem honorem, vt impleret obligationem honorandi parentem. Ex quo desumpsit Pelbartus *lib.4. Stellarij, part.1.art.3.* his verbis: *Exodi 20. lex diuina præcepit dicens: Honora Patrem, & Matrem: ergo sequitur, quòd Christus honorauit Matrem omni modo, quo potuit.* Cuius dictum optimè congruit cum iis, quæ dixit suprà, §.45. de maxima sanctificatione possibili B. Virginis inter puras creaturas.

norare Matrem summo honore possibili in pura creatura.

S.Method.

Pelbart.

242 Accedit Nicolaus Sanderus, qui *lib.6. de Claue David, §. Qui nouit, pag. mihi 369.* conclusionem nostram, eiusque probationem dilucidè proponit in hæc verba: *Qui nouit, & considerat, quid sit, vel Mariam simul Virginem, simul Dei Matrem fuisse, vel Dei Filium in forma Dei suo Patri æqualem, etiam in forma serui B.Virginis filium extitisse, nunquam putabit, vel tali matre vllam fœminam in Dei causis maiorem esse posse; vel talem filium, qui & ab omnibus filiis parentes honorandos decreuit,*

Sanderus.

uit, & totam legem, omnemque iuſtitiam ipſe impleuit, quidquid veri, & ſpiritualis honoris, cuius quidem Mater ſua capax fuerit, prætermiſiſſe, quin id ei detulerit ſummo in gradu. Ecce vt Chriſtus Dominus impleret omnem iuſtitiam, honorauit Parentem ſuam, tribuens ei omnem honorem ſupernaturalem, cuius capax eſt; quod vt ampliùs explicaret, addidit, datum fuiſſe in ſummo gradu. Cùm autem gratia, & dona ſupernaturalia non habeant terminum ſuæ intenſionis, in ſummo gradu ſolùm intelliguntur eſſe, cùm intelliguntur habere totam intenſionem poſſibilem. Quod

Salo. etiam diſertè tradidit Alexius à Salo *in arte amandi Deiparam, in declaratione Stellæ* 9. ita inquiens: *Non enim honor ille, quem liberi debent Parentibus, ſola reuerentia, & verbis placidis æſtimatur; ſed munificentia, & beneficiorum collatione liberali, quantum liberorum vires, opeſque patiuntur.* Honorauit ergo Chriſtus Dominus B. Virginem, quantùm eius vires, opeſque patiebantur, quas vſque in infinitum protendi, quis dubitet?

243 *Obiectio.* Dices: Si Deus teneretur præſtare Matri totum honorem, quem poſſet, teneretur illam euehere ad vnionem hypoſtaticam; cùm id ſit poſſibile Deo: hoc autem dicere eſt abſur-

Solutio. dum: ergo, & id, vnde infertur. Reſpondetur, malam eſſe illationem: quia Maternitas Dei eſt dignitas creata, & propria puræ creaturæ: quare non poteſt ei deberi, quòd ſit Deus. Itaque tenetur Deus præſtare Matri totum honorem, quem poteſt intra exigentiam Maternitatis,

nitatis, non verò supra illam. Et ideò semper diximus, debere Deum præstare Matri totum honorem, cuius est capax pura creatura, scilicet manens intra terminos puræ creaturæ.

CAP. XIX.

Vndecimum argumentum ex obligatione B. Virginis diligendi Deum summo amore possibili.

VNdecimum est. B. Virgo dilexit Deum 244
eo amore, qui suâ magnitudine superabat amorem cuiuslibet creaturæ, etiam possibilis: ergo habebat charitatem habitualem summam possibilem in pura creatura; atque adeò summam gratiam habitualem, quæ cum charitate vel identificatur, vel inseparabiliter associatur. Consequentia patet; nam ad eliciendum proportionatè operationem supernaturalem (qualiter B. Virginem operari, non est negandum) habitus supernaturalis est simpliciter necessarius. Antecedens verò probatur. B. Virgo tenebatur diligere Deum eo amore, qui superaret amorem cuiuslibet creaturæ possibilis: atqui absurdum est cogitare, quòd B. Virgo non dilexerit tantùm, quantùm tenebatur diligere: ergo reipsa dilexit ea excessiua dilectione.

Maior

245 Maior probatur primò. Ille tenetur ad maiorem dilectionem, qui maiora beneficia à Deo accepit; ad hoc enim vrget lex gratitudinis: & ex ore Pharisæi recte iudicantis de duobus debitoribus, Christus Dominus asseruit, eum plus diligere debere, cui plus donatum est: sed B. Virgo accepit à Deo maius beneficium, quàm vlla pura creatura recepit, aut potest recipere: ergo tenetur diligere Deum plus, quàm quælibet alia creatura, etiam possibilis. Minor patet. Nam, vt ex dictis *tota disput.* 1. constat, dignitas Maternitatis est summum beneficium, quod puræ creaturæ Deus conferre potest.

246 *Albertus.* Quo discursu vtitur Albertus Magnus *lib. de laudibus Virg. cap.* 78. ad eandem conclusionem probandam. Vbi cùm proposuisset parabolam debitorum, quorum alter quingentos nummos debebat, alter quinquaginta, vtrosque deinde donatos; & censuram Pharisæi de maiori dilectionis debito à Christo approbatam, subdit: *Ex hoc colligitur, quòd ille plus tenetur diligere, cui plus donatur: sed Beatissima Virgini super omnes creaturas donatum fuit: ergo plus diligere tenebatur. Sed quantùm diligere tenebatur, tantùm dilexit: ergo ipsum plus quàm altera creatura dilexit.* Vbi apertè loquitur de excessu super omnem creaturam possibilem. Primò, quia ibi adstruit charitatem in summo possibili, in quo manifestum est, quod excedit omnem creaturam possibilem. Secundò, quia dilectio, de qua loquitur, seruat proportionem cum

dono

dono collato Maternitatis, quod excedit reliqua dona poſſibilia, vt ex mente Alberti ſtatuimus *diſput. præced.* §. 11.

Probatur ſecundò eadem Maior. Ille tenetur magis diligere Deum, quem Deus maiori dilectione proſequitur: ſed B. Virginem Deus proſequitur maxima dilectione poſſibili erga puram creaturam, vt probatum manet *cap.* 11. Tenetur ergo B. Virgo diligere Deum magis, quàm quælibet pura creatura. Quæ ratio etiam deſumpta eſt ex Alberto *c.* 78. ibi: *Item Prouerb.* 8. *Ego diligentes me diligo: ergo plus diligentes plus diligo. Ergo quemcumque Deus maximè diligit, ille Deum maximè diligit. Sed Deus ſuper omnem creaturam maximè dilexit Beatiſſimam Virginem: ergo ipſa ad ipſum maiorem ſuper omnem creaturam habuit dilectionem.* In quibus verbis quamvis ſolùm loquatur de actuali dilectione, ad debitum diligendi extenduntur, tum ex contextu, tum ex paritate rationis. 247

Probatur tertiò eadem ratione, eodemque tenore verborum, quo vſus eſt Albertus citatus *eo capit.* 78. vbi ex obligatione Parentis erga filium, ita diſcurrit: *Nullus tantùm tenetur iure diligere, ſicut Pater, & Mater: ſed inter creaturas ſola fuit Beatiſſima Virgo Mater Dei: ergo nulla creatura tenebatur diligere Deum tantùm. Sed quantùm tenebatur diligere, tantùm dilexit: ergo Beatiſſima Virgo Deum, pluſquàm aliqua creatura dilexit.* 248

Dices B. Virginem teneri ad eum ſummum amorem, ſi habeat vires ſupernaturales ad illum; 249 *Euaſio.*

lum; non verò teneri, si illas non habeat. Vnde priùs probari debuisset, B. Virginem præditam fuisse habitu charitatis summo possibili, vt ita constaret, B. Virginem tali obligatione teneri: argumentum autem proxime instructum inverso ordine procedit, atque adeò nihil concludit.

250 *Præcluditur.* Sed contrà est: Nam Deus O. M. admirabili suæ prouidentiæ ordine vires sufficientes prouidet ad quodlibet præceptum implendum, quamlibetve obligationem opere exequendam. Nam cùm ipse author sit mediatè, vel immediatè eius obligationis, eo ipso, quòd ad illam adstringit rationalem creaturam, præmittit quidquid necessarium est ad illam implendam. Vnde vt inquiramus, an detur obligatio aliquid exequendi, non debemus inquirere, an dentur vires ad executionem eius obligationis, sed potiùs pro comperto habere, illas vires præsuppositas esse. Cùm enim dicimus, peccatorem teneri ad contritionem supernaturaralem eliciendam; nemo distinxit, teneri ad illam, quando viribus supernaturalibus adiutus fuerit; secus, si illis fuerit destitutus: sed potiùs omnes pro comperto habent, eo ipso quòd adsit obligatio contritionis; adesse etiam vires supernaturales ad illam eliciendam. Si ergo constat, B. Virginem teneri ad summum amorem possibilem ex lege gratitudinis, ex lege redamandi, ex obligatione Parentis ergà filium, supponendum sine vlla distinctione est, B. Virginem habere vires supernaturales ad eum amoris actum, atque

atque adeò in ipsa esse habitum charitatis proportionatum ad summum amorem possibilem.

CAPVT XX.

Duodecimum argumentum, ex eo quod, B. Virgini quidquid maximum concedendum est.

DVodecimum est. Quando non repugnat Sacræ Scripturæ, neque principiis Fidei, totum illud in ordine gratiæ concedendum est B. Virgini, quod Deus potest ei tribuere, & ipsa potest recipere, quodque eius dignitatem decet: sed Deus potest tribuere B. Virgini gratiam habitualem infinitam, & totam possibilem; & ipsa est capax talis gratiæ, & ita decet dignitatem Deiparæ; neque est aliquis textus in Sacra Scriptura, aliquodve principium Fidei, cui infinitudo gratiæ habitualis refragetur: ergo ea gratia habitualis infinita, & tota possibilis in B. Virgine admittenda est. 251

Minor patet. Et primò quidem supposita possibilitate gratiæ simpliciter infinitæ, quam initio huius disputationis statuimus, indubitabile est, quòd Deus possit illam producere; sicut & quòd B. Virgo illius sit capax. Quod autem Deiparam deceat, quis potest dubitare; cum tot, tantæque rationes decen- 252

tiæ appareant, vt ex rationibus suprà factis liquidò constat. Quod autem Sacræ Scripturæ, aut principiis Fidei non repugnet, constat: tum quia nullus textus apparet id negans; tum quia omnia aduersantia in extrema parte disputationis non difficilè soluuntur.

253 Iam verò Maior primi discursus probatur. Ea enim est regula, quâ Patres, & Theologi vtuntur ad probanda singularia gratiæ priuilegia, quæ de B. Virgine asseruntur. Hoc enim fuit præcipuum Sancti Augustini argumentum ad probandam in corruptionem corporis B. Virginis, eiusque assumptionem. Quod proponit *tom. 9. homil. 4. de Assumptione*, ibi: *Quid ergo de Mariæ morte, quid de eius Assumptione dicendum est, vnde Diuina Scriptura nihil commemorat, nisi quærendum ratione, quod conueniat veritati, fiatque ipsa veritas authoritas, sine qua nec est, nec valet authoritas.* Vbi totum Augustini negotium est, plurimas congerere rationes ad probandum, quòd Deus potuerit corpus B. Virginis incorruptum seruare. Quidquid enim potuit Deus conferre B. Virgini, non dubitat S. Augustinus, fuisse concessum; immò potiùs in hac materia à potentia ad actum sic argumentatur. *De cuius potestate si nullus ducitat Ecclesiasticorum, quin posset Matrem sine corruptione in perpetuum seruare; cur dubitandum est voluisse, quod attinet ad tanta benignitatis gratiam?* Quod nos etiam cum Augustino dicimus; si potuit Deus infinitam, & summam, quæ possibilis est in pura creatura gratiam

tiam constituere in B. Virgine, *Cur dubitandũ est, voluisse, quod attinet ad tantæ benignitatis gratiam?* Asserendum ergo est de B. Virgine totum illud quod Deus potuit illi conferre, & quòd veritati, & rationi conuenerit, & decens fuerit. Qua ratione congruentiæ & testimonio S. Augustini vsus est S. Thomas *3. part. quæst. 27. art. 1. corp.* vt probaret, B. Virginem in vtero sanctificatam.

S. Epiphanius *serm. de Laudib. B. Mariæ,* 254
totum id, quod illustre fuerit, & gloriosum S. Epiph.
B. Virgini, affirmat concedendum, his verbis: *O ter Sacrosancta Virgo, de qua qui omnia gloriosa, & illustria dixerit, nunquam is quidem ab scopo aberrabit.*

S. Bonauentura *in 3. dist. 3.* similem statuit 255
regulam generalem ad quamlibet excellentiã S. Bonau.
in B. Virgine constituendam (apud Iodoccum Clictouæum *serm. 1. de Concept. in fine,*) asserit enim: *Quidquid non est contra Fidẽ, attribui conueniẽter potest gloriosæ Virgini Mariæ; cùm scilicet illud ad suam, & Filij redundat gloriam.*

Consonat Franciscus Mayronis *in Quadra-* 256
gesimali, serm. 6. consid. 1. concl. 6. vbi ait: *Quid-* Mayroni
quid est perfectionis pro statu viæ in ordine ad beatitudinem, non est negandum in ea.

Guilielmus Parisiensis in festo Conceptio- 257
nis, *q. 3.* similem statuit regulam: *Quod Deus* Guilielmi
potuit facere & decuit fecit. Scilicet in B. Virgine, de qua ibi agit. Et paulò post: *Nulla dignitas conueniens Virgini est ab ea auferenda.*

P. Alphonsus Salmeron eandem statuit pro- 258
positionem generalem, eisdemque terminis, Salmeroni

quibus nos illam propoſuimus. Ita enim *tom.3.tract.5.§.Nobis verò*, inquit: *Quædam etiam,quæ nulli alteri competunt,modo conſtet, Deum poſſe,& decere donare, atque illam poſſe accipere,dediſſe ne dubites.*Et *tract.*12.§.*Deinde*,ait: *Deus hoc efficere poterat,hoc etiam facere illum decebat: feciſſe ergo,ne dubitemus.* Et
Ponte. P. Ludouicus de Ponte *lib.1. in Cant.exhort.* 11.§.1.id ipſum aſſerit in ſimili:*Conceſſit quidem ſummum quod poterat,& decebat.Hoc enim argumento probat D. Auguſtinus,corpus Deiparæ non fuiſſe in cineres redactum.*

Quare P. Suarez totus eſt in adſtruenda,
259 *Suarez.* & confirmanda hac regula generali pro excellentiis, & prærogatiuis B. Virginis. Nam *tom.2.in 3.part.diſp.3.ſect.5.§.Poſſumus ergo*, ait priuilegiorum B. Virginis non aliam menſuram eſſe, quàm omnipotentiam Dei. Quod ampliùs explicuit §.*Quinta ratio*, his verbis: *Ex quibus etiam veluti inductione quadam concluditur, myſteria gratiæ,quæ Deus in Virgine operatus eſt, non eſſe ordinariis legibus metienda,ſed Diuinâ Omnipotentiâ, ſuppoſitâ rei decentiâ,abſque vlla Scripturarum contradictione, aut repugnantia.* Vbi latè probat, hanc propoſitionem generalem eſſe Theologis commune argumentum ad perſuadendum, in B.Virgine fuiſſe alias perfectiones. Quòd ſi hoc non obſtante, aliquid ad eius excellentiam pertinens denegatur; debilitari aſſerit rationes omnes,quibus aliæ gratiæ & excellentiæ B.Virginis ſolent perſuaderi.Idem aſſeruit P.Petrus Morales *ad c.1.Matth.lib.3.tr.1.* *n.24.*

p. 24. vbi affirmat, de Deipara semper asserendum esse id, quod saluâ Scripturâ sacrâ ad maiorem eius honorem conducit. Et ferè eadem Rutilius Benzonius *lib. 4. in Magnif. c. 15.* Morales.

Huc vocari possunt omnes illi, qui asserunt, omnes gratias, & perfectiones in aliis repertas concedendas esse in B. Virgine: eo quòd non alio fundamēto ducuntur, quàm potētiâ Dei, & ipsius rei decentiâ. Qui autem, & quot sint hi Authores, non potest facilè referri, possent enim suis nominibus multas implere paginas. Benzon. 260

Quæ non leuiter confirmantur ex verbis Dominæ, *Quia fecit mihi magna qui potens est.* 261 Vbi P. Suarez citatus §. 146. dixit, eius sensum esse, mensuram gratiarum, & perfectionum B. Virginis esse ipsam Dei potentiam, vt satis perpendimus *ibidem.* Suar.

Denique in assertis Salmanticēsibus P. Ioannis Barbiani, *assert.* 2. sic habetur: *Reliquis omnibus possibilibus donis, atque perfectionibus cumulatam fuisse, propugnamus. Scilicet conferri ei decuisse, quidquid ei cōferri potuit, nisi ex aduerso manifesta probetur indecentia, quasi per se notum accipimus.* Et *in assert.* 3. sic: *Itaque omni gratiâ, omni plenitudine, omni ratione plenitudinis, & omnibus modis gratiâ plenam fuisse volumus: & omnia illustria, & gloriosa in reliquis omnibus ac singulis, siue Angelis, siue hominibus, vllo vnquam tempore dispersa, collectim in ipsam summa cum accessione fluxisse ex ipsis veluti terminis notissimum existimamus,* &c. *Vnde non aliam priuilegiorum ipsius mensuram, nisi solam Dei potentiam assignamus.* 262 Barbian.

263 Concedamus ergo B. Virgini gratiam intensione infinitam, & omnem possibilem in pura creatura, si gratiam & sanctitatem eius, non ordinariis legibus, sed Diuinâ Omnipotentiâ metiri debemus: si nolumus debilitare argumenta fundata in ipsa rei decentia, quæ in aliis materiis efficacissima reputantur, attentâ B. Virginis dignitate, & magnitudine: si ex terminis notum est, collatum fuisse B. Virgini, quidquid conferri potuit, vbi non manifesta probatur indecentia.

264 Et quidem plurima mysteria de B. Virgine proposita sunt, quæ primo congressu vel falsa, vel dubia visa fuerunt; procedente verò tempore, certa, & indubitata habentur, nullo denuò adueniente fundamento, quàm attentâ cognitione summæ dignitatis Matris Dei, in quam nulla excellentia non conuenit, quam omnis gratiæ celsitudo maximè decet. De Resurrectione, & glorificatione corporis B. Mariæ proposita est quæstio in Eccresia: initio dubitauit Hieronymus; Augustinus asseruit, & acriter propugnauit, argumento desumpto ex decentia rei, & potentia Dei: & mox in Ecclesia indubitatum fuit. Similiter processit mysterium Conceptionis: in cuius controuersiæ initio multæ deterrebant difficultates, donec Dei genitricis dignitas, & magnitudo, ipsaque rei decentia exorientes difficultates obruit; & ad eum, quem hodie tenet apud ferè omnes fideles, certitudinis gradum perduxit. Ambrosius Catharinus negauit B. Virgini debitum peccati originalis. Et primò

Catharin.

quidem

quidem opinio aliquibus visa est erronea: sed vlteriùs, & vlteriùs examinata, visa est omnino probabilis, & iam vix aliquis est, qui eam non tueatur. Dixit P. Iacobus Granado *disput. 3. de peccato origin. cap. 3 1.* posse esse martyrium mortem pro defensione immaculatæ Conceptionis susceptam, modis ibi explicatis: cui multi refragati sunt. Sed re attentiùs perpensâ, in iudicio contradictorio examinata pacificam possidet probabilitatem, & pro se habet multorum suffragium. **Granado.**

Ita quoque spero futurum esse, vt quamvis initio multæ difficultates occurrant circa infinitam gratiæ intensionem B. Virginis; tempore procedente, & veritate ipsa tantæ decentiæ rationibus innixa, se clariùs propalante, in hoc magnitudinis pelago Beatissimæ Virginis obruantur: & huic sententiæ sufficiet esse probabilem, vt decursu temporis ab omnibus Theologis obviis vlnis accipiatur, & propugnetur.

CAP. XXI.

Soluitur prima difficultas de infinitudine meritorum B. Virginis.

Accedamus iam ad solutionem obiectionum, quæ contra hanc sententiam militare possunt. Et sanè quamuis pro ea nulla essent rationis, vel authoritatis momenta, 265

 sufficeret

sufficeret ad eius probabilitatem occurrentium difficultatum solutio; dissolutis enim difficultatibus, quidquid maximum B. Virgini attribuendum est.

66 Prima igitur obiectio est. Si B. Virgo habuisset infinitam gratiam sanctificantem, eius merita fuissent infiniti valoris: atqui hoc repugnat: ergo repugnat ea gratia infinita. Maior patet, cùm non aliunde hauriant valorem infinitum merita Christi Domini, quàm ex infinita sanctitate, & dignitate personæ: si ergo gratia Deiparæ esset infinita, dignificaret infinitè eius merita. Minor verò prioris syllogismi probatur primò. Sequeretur enim, non esse maiora merita Christi Domini, quàm merita B. Virginis. Etenim vnum infinitum non est maius alio, vt multi Theologi, & Philosophi censent: sed merita Christi, & B. Virginis sunt infinita: ergo non sunt maiora merita Christi, quàm Matris. Secundò. Quia meritis infinitis correspondere debet præmium infinitum: sed non est præmium infinitum, quod illis correspondeat: ergo non sunt infinita.

Merita infinita B. Virginis, sunt infinities inferiora meritis Christi.

267 Sed ante solutionem illud præ cæteris notandum est, licèt sint infiniti meriti opera B. Virginis, adhuc per infinities infinita interualla distare à magnitudine meritorum Christi Domini. Quod discrimen manifestum est. Nam merita B. Virginis dignificantur à gratia habituali infinita; merita verò Christi Domini dignificantur à sanctitate increata Verbi, & à sanctitate infinita vnionis hypostaticæ.

postaticæ. Tantùm ergo distant vnius, & alterius merita, quatùm gratia habitualis infinitè intensa distat à sanctitate vnionis hypostaticæ, & Verbi Diuini.

Constat *ex cap. 16.* extitisse in B. Virgine 268
actus infinitè meritorios, etiam independenter ab infinita gratia dignificante. Quòd verò attinet ad argumentum, consequenter asserendum est, merita B. Virginis fuisse infiniti valoris deriuati, vt bene probat argumentum, ab infinita intensione gratiæ habitualis. Quam meritorum infinitatem disertè tradit S. Anselmus consequenter ad ea, quæ de infinitate Maternitatis Dei & gratiæ ipsam sanctificantis suprà retulimus. Nam *lib. de Excell. Virginis, cap. 3.* statuit in B. Virgine summum meritum possibile in pura creatura, iis verbis, quæ retulimus §. 38. *Sancta Virgo Maria tam excellenter illi placuit, vt nequaquam crederet quis, illam aliquâ ratione excellentiùs placere potuisse.* Quòd si impossibile fuit illi excellentiùs placuisse, infertur, quòd fuerit maximum obsequium sibi, & cuilibet puræ creaturæ possibile. Huc referenda sunt varia testimonia S. Anselmi, in quibus statuit infinitatem in amore, & aliis virtutis actibus B. Virginis, quæ adducam *cap. sequenti, art. 6.* In actibus verò infinitè intensis adesse meritum infinitum, dubitari non potest.

Merita B. Virginis sunt infiniti valoris.

S. Anselm.

S. Bernardinus *tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 1.* 269
adstruit in consensu Virginis exhibito verbis Angeli omne meritum possibile infra Deum hominem, & illud vtiquè infinitum, verbis

S. Bernard.

supra relatis, §.187. Et *tom.1. serm.61. art.3, cap.2.* agens de gloria accidentali, quam Beati participant ex visione B. Virginis, ait: *Talis enim minimus Beatus clarè cognoscit, quòd B.Virgo, cùm sit Mater Dei, plus posuit pro sua salute, quàm posuerit, vel ponere possit tota rationalis natura simul sumpta; consideratâ excellentiâ dilectissimi Filij sui, qui fuit instrumentum suæ saluationis, redemptionis, & glorificationis; consideratis etiam Virginis meritis, & suffragiis, & exemplis.* Ecce plus posuit B.Virgo, quàm ponere possit quæuis pura creatura rationalis, aut omnes simul, non solùm quia dedit nobis Redemptorem, sed *consideratis etiam Virginis meritis, & suffragiis, & exemplis.* Fuerunt ergo merita eius maxima, & summa, quæ in pura creatura possibilia sunt, & consequenter infinita.

270 *Albertus.* Albertus Magnus *lib.de Laudib.Virg.cap.86.* agens de perfectione operum B.Virginis, ait: *Consummatio rerum benè gestarum per B. Virginem excellit improportionabiliter omnis puræ creaturæ consummationem.* Vbi ex eo, quòd perfectio operum B. Virginis excellat perfectionem omnis puræ creaturæ, constat, esse summam possibilem in pura creatura. Ex eo autem, quòd improportionabiliter excedat, constat, quòd infinitè excedit, & quod perfectio moralis operum est infinita simpliciter, vt constat ex supradictis §. 109. S. Antonius *Ant. Pad.* Paduanus infrà citandus, §.294. asserit meritum B. Virginis infinitum esse: recole verba ibi allegANDA.

Vide

Videtur etiam fauere S.Gregorius Magnus *in lib.1.Regum, cap.1.* dum ait: *An non mons sublimis Maria, quæ vt ad Conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros vsque ad solium Deitatis erexit?* Quæ verba hunc videntur reddere sensum, ita Deo immediata esse Virginis merita, vt inter Deum, & ipsa, alia mediare non possint. Iuxta sensum eorum verborum, *Inuenisti gratiam apud Deum*, quem suprà dedimus §.145. ex S.Antonino. Merita ergo ita Deo immediata, & summè propinqua, talia sunt, vt non possint alia esse maiora in pura creatura, atque adeò erunt infinita. Fauet quoque S. Ildephonsus, cuius verba perpendam §.290. & ex Recentioribus P.Ripalda citatus §.94. qui non veretur concedere merita B. Virginis condigna esse retributione infinitæ gratiæ, & gloriæ, immo & totius possibilis. Et P.Canisius *lib.2. de Deipara, cap. 16.* dum merita B.Virginis appellat *infinitas opes.* Relege etiam S. Bonauenturam, Guilielmum, Bustum, & Pelbartum citatos à §.336. qui expressè adstruunt in B.Virgine actus infinitè meritorios: & Alexius à Salo verbis infrà referendis, §.295. concedit, merita B.Virginis immensa esse, & infinita. Et item omnes illi, qui concedunt B. Virgini actus virtutum infinitè intensos, quos producam *cap. sequenti, art.6.* Præter omnes suprà citatos, qui gratiam simpliciter infinitam in B.Virgine admittunt: qui vim consequentiæ à gratiæ habituali ad merita euitare non possunt.

271 *S.Gregor. S.Ildeph. Ripalda Canisius. S.Bonau. Guiliel. Busto. Pelbart. Salo.*

igitur

272 Igitur ad obiectionem concedo Maiorem, quòd scilicèt inde inferatur infinitudo meriti: & nego Minorem, quòd illa repugnet. Ad primam probationem Minoris respondeo, illam in hac materia penitus esse absurdam, & nullius probabilitatis. Nam ex illa probari potest (si Deus produceret in subiecto infinitam gratiam habitualem) sanctitatem increatam non esse maiorem eâ sanctitate, quæ proueniret ex gratia habituali infinitè intensa: eo quòd vnum infinitum non est maius alio. Videant ergo Authores eius obiectionis, in quod se barathrum coniiciant.

Vnum infinitum esse maius alio in præsenti materia, certum est.

273 Itaque eam sententiam, quæ negat comparabilitatem omnibus infinitis, semper iudicaui & falsam, & nullius fundamenti. Omnia enim argumenta, quæ pro se habet, sunt illa, quæ desumuntur ex infinitis partibus, & indiuisibilibus continui, quæ propter eius rei confusionem valde difficilia sunt. Et ita propter ea argumenta opinatus sum, eas infinitas partes, & indiuisibilia non esse comparabilia inter se, sed semper plura, & plura, & nunquam tot, quin sint plura. Nullum autem fundamentum adest ad negandam comparabilitatem in reliquis infinitis, in quibus ea partium confusio non datur, atque adeò non militant eadem argumenta. Et ad præsentem materiam, vt dixi, illa extendi non possunt; cùm euidens sit, infinitum cuiusvis perfectionis increatæ esse maius, & excellentius quovis infinito perfectionis creatæ, siue eiusdem, siue diuersæ lineæ.

Merita

Merita igitur B. Virginis extollentes, nihil 27
minuimus merita Christi Domini, vtpotè infinitè illis superiora. *Suam Christo capiti gloriam saluam in primis, & inconuulsam tuemur, eiusque meritis vel tantillum detrahere sacrilegium existimamus.* Ita enim respondet P. Canisius *lib. 2. de Deipara, cap.* 16. illis hæreticis, qui Doctoribus Catholicis obiiciunt, quòd nimium laudent Sanctissimam Deiparam; quasi laus Christi Matris laudibus obscuraretur: & non potiùs magnificaret anima illius Dominum, & laudes illius extollerent laudem Filij. Quod fortè desumpsit ex B. Ildephonso *lib. de Virginit. B. Mariæ, cap.* 12. qui potiùs ex Matris excellentia vult Filij dignitatem exaltari. *Sic namque*, inquit, *refertur ad Dominum, quod seruit ancillæ: sic redundat ad Filium, quod impenditur Matri: sic alternat in nutrito, quod adhibetur in nutrice: sic transfertur honor in Regem, qui defertur in famulatum Reginæ.*

Canisius.

S. Ildeph.

Ad secundam probationem Minoris, concedo, meritis B. Virginis correspondere præ- 275
mium infinitum: quod iam explico capite sequenti.

CAP.

CAPVT XXII.

Satisfit secundæ difficultati desumptæ ex infinita visione Beatifica Virgini debita.

ARTIC. I.

PROPOSITIO DIFFICVLTATIS.

176 SEcunda obiectio est. Si B. Virgo haberet infinitam gratiam habitualem, & omnem possibilem; haberet etiam lumen gloriæ, & visionem beatificam cum infinita intensione, immò & cum omni ea, quæ possibilis est in pura creatura: hoc repugnat: ergo repugnat gratia habitualis simpliciter infinita in B. Virgine. Maior patet, tum à paritate rationis; tum etiam, quia singulis gradibus sanctificantis gratiæ correspondent in cælo singuli gradus visionis beatificæ.

277 Minor verò probatur primò. Inde enim sequeretur, visionem beatificam B. Virginis esse æqualem in perfectione visioni Christi Domini vt hominis; atque adeò humanitati Christi Domini non inesse excellentiorem beatitudinem, quàm puræ creaturæ: quod vel ipsæ aures abhorrent. Id autem inferri, probatur. Etenim Christo Domino solùm concedi potest tota ea intensio visionis, cuius est capax intel-

intellectus creatus: ſed tota hæc conceditur B. Virgini: ergo vtraque æqualis eſt. Hæc Minor probatur. Nam B. Virgini conceditur tota ea intenſio luminis, & viſionis, cuius capax eſt pura creatura: ſed pura creatura eſt capax totius intenſionis luminis, & viſionis cuius eſt capax intellectus creatus: ergo tota illa conceditur etiam B. Virgini.

Præterea negari non poteſt, quòd illa eadem viſio, quæ eſt in intellectu creato Chriſti Domini, poteſt de potentia abſoluta conſtitui in intellectu puræ creaturæ: atqui B. Virgo habet tantam intenſionem viſionis, quantam poteſt recipere intellectus puræ creaturæ: ergo habet eamdem intenſionem viſionis, quam habet Chriſtus Dominus.

Probatur ſecundò Minor primi ſyllogiſmi. Nam etiam ſequeretur, B. Virginem videre in Deo omnes creaturas poſſibiles. Quod, factâ calculatione, facilè probatur. Nam viſio intenſa vt vnum videbit vnam ſaltem creaturam; & intenſa vt centum, videbit centum: ergo infinitè intenſa, videbit infinitas; & quæ habet omnes gradus poſſibiles intenſionis, videbit omnes creaturas poſſibiles. Hinc autem vlteriùs infertur, eam viſionem eſſe comprehenſiuam. Ad comprehenſionem enim quid amplius requiritur, quàm videre in Deo, quidquid eſt formaliter, & eminenter in illo? Sic enim docti Theologi opinantur. 278

ARTICVLVS II.

Visionem B. Virginis esse infinitam, & maximam, quæ possibilis est in pura creatura, authoritate probatur.

279. Ante solutionem argumenti, oportet hanc conclusionem proximo titulo præfixam stabilire. Et quidem necessitate consequentiæ compulsi eam admittere debemus, vt cuilibet perpendenti fiet indubitabile. Adhuc tamen capita probationum breuiter subiiciemus, vt hæc clariùs constent. Et primò quidem in præsenti articulo dabo Patres, & Doctores, qui illam maximam possibilem in pura creatura asseuerant; & illos deinde, qui infinitam dicunt.

280 *S. Bernard.* S.Bernardus illud expresse asseruit *in serm. de Signo magno*, vbi loquens de Beatitudine Deiparæ, ait: *Profundissimam Diuinæ sapientiæ, vltra quàm credi valeat, penetrauit abyssum: vt, quantum sine personali vnione, creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immensa.* Quæ verba manifestè significant, B. Virginem habere totam beatitudinem possibilem, cuius est capax illa creatura, quæ personalis vnionis cum Verbo expers fuerit; siue, quod idem est, cuius est capax pu-

ta creatura. Idem expressè docet S.Bonauentura, qui *in Specul.lect.6. §.Quartò considerate*, ipsa Bernardi verba proximè relata mutuatur. Et *in 1. dist.17. part. 2. quæst.4.* ait: *Scio tamen de Christo, quia tantum habet de gloria, quantum potest recipere creatura vnita: Et credo hoc ipsum de Matre dulcissima.* Scilicet, quantum potest recipere creatura non vnita. S.Bonauen.

Eandem conclusionem perspicuè tradit S.Bernardinus *tom.1. serm.61. art.2. cap.10.* vbi cùm retulisset dictum Hieronymi: *Ceteris per partes præstatur, Mariæ verò se tota infudit plenitudo gratiæ.* Ex illo collegit, B.Virginem habere tantùm gratiæ, *quantùm vni creaturæ puræ dari possibile esset.* Vt supra retulimus §.62. Deinde immediatè colligit ex eodem dicto, dari in B. Virgine totam beatitudinem possibilem in pura creatura, his verbis: *In paradiso diuinæ gloriæ participatio ceteris quodammodò per partes datur: sed secundum Bernardum Beata Virgo Maria Diuinæ sapientiæ profundissimam, vltra quàm credi valeat, penetrauit abyssum: vt quantùm sine personali vnione creaturæ conditio patitur, illi luci inaccessibili videatur immensa.* Vbi notabis primò, sicut in plenitudine, quam adstruit Hieronymus, intelligit omnem gratiam habitualem possibilem in pura creatura; ita in eadem plenitudine beatitudinis intelligit omnem beatitudinem, cuius est capax pura creatura. Notabis secundò, quomodò S. Bernardinus intelligat dictum D. Bernardi in eo- 281 S.Bernardi.

dem omnino sensu, quem nos illi attribuimus.

282 Consonat sibi S.Bernardinus in eodem sermone,& articulo, *cap.* 5. loquens de amore beatifico B.Virginis, vbi ita differit. *Maternus igitur amor incomparabiliter transcendere debet omnes alias rationes amoris in Deum, præter illam, quæ est in anima Christi, quæ scilicet fertur realiter in Deum tanquam in propriam personam.* Est ergo ea dilectio maxima omnium, si solùm exceditur à dilectione Christi. Et sine fundamento limitabis ad dilectiones actualiter existentes. Tum quia si solùm loqueretur de existentibus, non diceret, *transcendere debet*, sed *transcendit*; illa enim verba plus denotant, quàm actualem excessum. Tum etiam, quia cum excludat dilectionem beatificam Christi, comparationem cum cæteris omnibus possibilibus videtur admittere; maximè cum in primo textu perspicuè illam ita admiserit.

283 *Pisanus.* Bartholomæus Pisanus totus est in asserenda hac summa beatitudine possibili B. Virginis. Nam *lib. de laudib. Virg. fruct.* 1. *pag. mihi* 20. ait: *B. Maria in summa gloria possibili pura creatura abyssatur.* Et *lib.6. fruct.3. pag.*730. sic: *Sicut Virgo Maria omnes puras creaturas hîc degens meritis excessit, & gratiâ: sic in cœlis creditur tantùm ei collatũ de gloria, vt supremum gradum teneat in eadem, puræ creaturæ à Deo possibilem conferendum.* Et *pag.*735. sic: *Sed quanta sit* (eius beatitudo) *ego meliùs exprimere non valeo, nisi dicendo,*

quòd

quòd illa abysso Deitatis ipsa abyssatur, & profundatur, vt tantum de gloria ipsa habeat, quantum est possibile à Deo puræ creaturæ conferri; Et paulò post id ipsum iterum repetit. Et deinde iterum *pag.* 737.

Dionysius Richelius assertor est eiusdem sententiæ, & Bernardi sectator. Nam *in Prou. art.* 33. ita scribit: *Recepit equidem pretium inæstimabile, dignum, & copiosum, quemadmodum inæstimabilis meriti fuit: ita quòd quantum sine personali vnione fieri potest, luci increatæ, & inaccessibili videatur felicissimè esse immersa, secundum Bernardum.* Sed adhuc magis explicuit mentem propriam *in Cant. art.* 8: ad ea verba, *Laua eius in capite meo*, &c. vbi sic ait: *Ad tam claram, & voluptuosissimam suæ Deitatis intuitionem promouit, quantam pura creatura sine personali vnione videtur capere posse.* Quæ testimonia adeò dilucida sunt, vt commentario non indigeant. 284 *Richelius.*

Ambrosius Spiera *serm.* 32. *consid.* 3. *concl.* 3. cum D. Bernardo ait: *Quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videtur immersa.* Et paulò antè discursum efformat in eo fundatum, quòd *quanta fuerit gratia animæ in patria; tanta erit luminis gloriæ participatio.* Vt probet, hanc in Virgine esse summam. Quod clariùs constat ex §. 50. vbi apertè variis in locis asserit, gratiam B. Virginis esse summam possibilem in pura creatura. 285 *Spiera.*

Armandus de Bollouisu *collat.* 4. §. *Quantum ad tertium, tom.* 3. *Biblioth. Virgin.* ita ait: *Res* 286 *Armand.*

quantò est maioris leuitatis, & puritatis, tantò in altiori loco suscipitur, & situatur, sicut patet de elementis respectu elementatorum, & de igne respectu elementorum: B. Virgo, secundùm Anselmum, fuit tantæ puritatis, quâ sub Deo nequit maior intelligi: & ideò debuit suscipi altiori solio, & maiore sub Deo. Itaque cùm ea fuerit puritas B. Virginis, qua maior sub Deo nequeat intelligi; eadem proportione locus gloriæ, idest gradus beatitudinis tantus fuit, quo maior sub Deo nequeat intelligi; cùm tantò altiorem debeat habere locum, quantò est maior puritas illius.

287 *Pelbartus.* Pelbartus eodem modo adscribit B. Virgini maximam beatitudinem possibilem in pura creatura, *lib.* 10. *stellar. part.* 1. *art.* 3. vbi sic habet: *Dei Mater sicut est perfectissima sanctitatis super omnes Angelos, & Sanctos improportionabiliter, quæ est tantæ puritatis, vt maior sub Deo nequeat intelligi, teste B. Anselmo; ita perfectissimam beatitudinem debet habere super omnes Angelos.* Itaque sicut admittit in B. Virgine Sanctitatem, qua maior sub Deo nequit intelligi, ita asserit, admittendam beatitudinem, quâ maior sub Deo nequeat intelligi, scilicet sub Deo homine filio eius.

288 *Albertus.* Albertus Magnus, qui *lib. de landib. Virg.* verbis infrà, §. 300. citandis dixit, aureolam martyrij in B. Virgine fuisse infinitam, *cap.* 118. dicit, aureolam Virginitatis datam fuisse B. Virgini *in summo*; qui terminus apud ipsum denotat augmentum summum possibile, vt constat ex §. 41. Est autem eadem

ratio

ratio de visione, ac de aureola. Alexius à Salo *in Arte amandi Deiparam*, in declaratione stellæ 9. ait: *Fruitur omni ea gloria, & beatitate, quæcumque animo, fingi, aut merito optari sub Deo possit.* **Salo.**

289 Et hi quidem sunt Doctores, qui totam beatitudinem possibilem in pura creatura B. Virgini adscribunt. Modò producam eos, qui asserunt, eam fuisse infinitam. Quod asseruit B. Petrus Damianus *serm. 45. in Natiu. B. Mariæ, colum. 3.* comparans B. Virginem Throno Salomonis, qui rotundus erat, his verbis: *Et nota, cum quanto Sacramento transitum Virginis Scriptura comparet rotunditati. In rotundo nec principium, nec finem poteris inuenire; ita & gloria, quæ eam de hoc mundo transeuntem excepit, principium ignorat, nescit finem: de qua nihil aliud possumus dicere, nisi quia gloriosa dicta sunt de te, gloria Dei.* Quid autem est, non habere initium, nec finem, nisi esse infinitum, cuius essentia consistit in eo, quòd careat termino. Quod quidem notauit Glossa marginalis in editione Romana anni 1606. his verbis: *Gloria infinita S. Mariæ Assumptio.* **Petr. Dam.**

290 S. Ildephonsus satis clarè indicat eandem infinitudinem beatitudinis, *serm. 2. de Assumption.* ita disserens: *Quia etsi impartit præmia iustus iudex Christus Dominus, secundùm Apostolum, vnicuique iuxta opera sua, huic tamen sacratissimæ Virgini Genitrici suæ, sicut incomparabile est, quod gessit, & ineffabile donū, quod percepit, ita & inæstimabile, atque incom-* **S. Ildeph.**

 preben

prehensibile præmium, & gloria, non dico inter cæteras sacras Virgines, verùm etiam inter omnes Sanctos, quam promeruit. Vbi non solùm notabis ea verba, *incomparabile, inæstimabile, incomprehensibile*, quæ in rigore nequeunt sine infinitudine intelligi, sed multò magis illam contrapositionem, *vnicuique iuxta opera sua; huic tamen sacratissimæ Virgini*, &c. Cuius sensus est, cæteris in gradu determinato, & iuxta merita finita, & mensurata donari præmium beatitudinis; non sic B. Virgini, cui absque ea mensura beatitudo donata est. Quod apertè indicat infinitatem beatitudinis.

291 *S. Anselm.* S. Anselmus, qui Maternitatem Dei, gratiam sanctificantem, & merita B. Virginis asseruit esse immensa, vt suis quæque locis ostendimus; consequenter beatitudinem eius adstruit absque omni mensura. Et ideò *lib. de Excell. Virg. cap.* 8. vocat immensam, sic inquiens: *Immensitatem quippe gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tuæ considerare incipienti, sensus deficit, & lingua fatiscit.* Vide quæ circa hunc locum perpendimus suprà §. 102. & 103. quod paulò post ibidem repetit S. Doctor.

292 *Albert.* Albertus Magnus *lib. de laudib. Virg. capite* 96. *ante med.* ita asserit: *Tertius verò gradus visionis patriæ est visio gloriosissimæ Virginis Matris Dei, quæ super omnes puras creaturas improportionabiliter limpidissimè, & propinquissimè contemplatur Maiestatem Dei.* Ostendi autem suprà, §. 109. idem esse apud

Albertum

Albertum *Improportionabiliter*, ac *infinitè*. Et idem repetit *cap.98*. Sed multò clariùs locutus est *cap.116*. vbi agens de aureola Martyrij B. Virgini donata ob dolorem, quo vulnerata fuit prope crucem Filij, ait: *B. Virgo dedit animam in infinitum plùs dilectam, & pretiosam, quàm aliquis Sanctorum: ergo habebit in infinitum pretiosiorem aureolam, quàm aliquis Sanctorum.* Est autem eadem ratio de aureola, & de visione beatifica. Et inferiùs ait: *In infinitum erat maior dolor B. Virginis, quàm dolor aliorum: ergo & aureola eius maior aureolis erit aliorum*, scilicet in infinitum. Ita enim postulat contextus, & vis consequentiæ. Id, quod etiam generaliter dixit de omni præmio eius, ibidem: *Improportionabiliter plus dedit in merito: ergo improportionabiliter plus accepit in præmio.* Iam verò constat ex sæpe dictis, hunc terminum æquiualere apud Albertum termino *Infinitè*.

Amadeus in suis Reuelationibus, *Rapt.8.* refert, sanctum Gabrielem sibi dixisse, quòd ante obitum Virginis ipse Gabriel ipsi Dominæ apparuerit, & salutauerit: *Eam tunc salutari, vt gauderet, quia ad infinitum gaudium transferenda erat.* 293 *Amadeus.*

S. Antonius Paduanus *in Dominicam 5. post Trinit. tom. 3. Biblioth. Virgin.* comparans B. Virginem Throno Dei, ad ea verba Eccle-siast.24. *Et Thronus meus in columna ignis*, ait: *Et summitas Throni rotunda in parte posteriori B. Mariæ summitas fuit charitas, ob cuius meritum in posteriori parte, idest æterna* 294 *S. Ant. Pad.*

beatitudine summum tenet locum, fine, & principio carente. Hoc autem est esse infinitum, vt in verbis B. Petri Damiani notaui §. 289.

295 Salo. Alexius à Salo *in Arte amandi Deiparam, cap. 4. §. Eccuius,* ait: *Eccuius ergo tam subtile est ingenium, vt vel concipere, vel intelligere possit immensum gratiæ, & meritorum Deiparæ oceanum; ac, quod inde sequitur, infinitam eius gloriam, quæ merces est gratiæ.* Et *§. verùm,* agens de beatitudine B. Virginis, ait: *Vnius Mariæ gloriam fore infinitè cæterorum omnium gloriâ superiorem.*

296 Barbian. Et in assertis Salmanticensibus P. Ioannis Barbiani, *assert. 6.* affirmatur gloria infinita in B. Virgine, verbis citatis suprà, §. 123.

297 Hoc vocandi sunt Doctores illi, qui asserunt, beatitudinem B. Virginis esse incomparabiliter maiorem beatitudine reliquorum spirituum; quod sine infinitudine esse non potest. Nam per excessum dupli, quadrupli, centupli, aut millies centupli, &c. non dicitur incomparabiliter maior; & solùm deest comparatio, vbi finitum confertur ad infinitum.

Pet. Dam. Ita B. Petrus Damianus *serm. 40. de Assumpt. colum. 4.* ait: *Similiter & virga Iesse veri præuia luminis, in illa inaccessibili luce* (scilicet cœlestis beatitudinis) *perlucens, sic vtrorumque spirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere.* Vbi non solum notabis, omnem comparationem deficere B. Virginis ad spiritus, sed horum gloriam non apparere, si cum glo-

ria

tia Virginis comparentur : quod denotat, nullum in toto rigore locum relinqui comparationi. Et sanè duo, quæ mensuram recipiunt, in eodem genere comparationem accipiunt tanti excessus determinati ; tunc autem non poterunt hanc comparationem admittere, quando vnum habet mensuram, & alterum illius expers est.

Et ita S. Chrysostomus in Lithurgia vocat eam *incomparabiliter gloriosiorem, quàm Seraphim*. Et S. Ephrem. *orat. de laudib. Virg.* inquit : *Nullâ comparatione omnibus superis exercitibus gloriosior.* Quâ dicendi formulâ multi alij Patres loquuntur. Tandem pro hac sententia citandi sunt omnes illi Doctores, qui dixerunt, gratiam B. Virginis esse simpliciter infinitam, & summam possibilem in pura creatura : cùm gratiæ sanctificantis, & beatitudinis par omnino sit ratio, & infallibilis consequentia. 298 *S. Chrys.* *S. Ephrem.*

ARTIC. III.

Capita probationum breuiter instaurantur.

OMnia ferè argumenta suprà posita pro infinita, & summa possibili gratia habituali B. Virginis, militant etiam pro eius beatitudine infinita, & summa, quæ possibilis est in pura creatura, vt patebit breuiter discurrendo per singula. Primum *cap.* 8. propositum 299 *Primum argumentum.*

P 5 est.

Beatitudo infinita debetur dignitati Matris. est: Dignitati Matris Dei aliqua beatitudo debita est, saltem mediatè, quatenus gratiæ illius dignitatis est debita: sed non finita: ergo infinita. Probatur Minor. Nam inter principium exigens aliquam perfectionem, & perfectionem illi debitam debet intercedere proportio: sed non intercedit proportio inter dignitatem infinitam, qualis est Materniras Dei, & beatitudinem finitam: ergo beatitudo, quæ dignitati Matris Dei debetur, non potest esse finita. Et vrget magis argumentum, si ex debito immediato beatitudinis eliciatur. Etenim gratiæ habituali infinitæ, quæ datur in B. Virgine, debetur aliqua beatitudo: sed hæc non est finita; beatitudo enim proportionatur cum gratia habituali: vt ergo illi sit proportionata, debet esse infinita.

300 *Confirmatio prima.* Confirmatur primò. Si beatitudo finita deberetur Maternitati Dei, hæc non esset dignitas infinita, & summa possibilis; maior enim esset dignitas, cui infinita gratia habitualis, & infinita beatitudo debita esset. Confirmatur secundò. *Secunda.* Nam, vt eo capite 8. docent S. Bernardus, & S. Bernardinus, tantò maior excellentia in ordine gratiæ conuenit B. Virgini, quàm cæteris intellectualibus creaturis, quantò celsiorem habet dignitatem: sed dignitas Matris infinitè superat cæteras intellectuales creaturas: ergo quæuis eius excellentia in ordine gratiæ, atque adeò beatitudo, debet esse infinita. Relege totum caput 8. ex quo magnum adiicietur robur huic argumento pro beatitudine B. Virginis infinita,

ta, & summa, quæ possibilis est in pura creatura.

Secundum argumentum *cap.9. & 10.* propositum, desumptumque ex authoritate sacræ paginæ, etsi præcipuè militet pro gratia habituali infinita, & summa possibili B. Virginis, adhuc tamen non incongruè adaptari potest eius beatitudini infinitæ. Et primò quidem ea verba Gabrielis *Gratia plenâ*, possunt intelligi non solùm de gratia iustificante, sed & de omnibus donis spectantibus ad ordinem gratiæ, quæ statum Matris Dei decent, vt intellexit Albertus Magnus *lib. de laudibus Virginis, à cap.61. vsque ad* 198. & ita sicut ex verbis Angeli ibi colligimus infinitam, & summam possibilem gratiam iustificantem; ita pari ordine de beatitudine eiusdem, vel potius de iure ad beatitudinem idem colligi potest. Præcipuè cùm huic sensui suffragentur S. Hieronymus, & S. Bernardinus citati §.281. Nam ex verbis Angeli colligit Hieronymus, cæteris Sanctis per partes præstari; Mariæ verò se totam infudisse plenitudinem gratiæ. Et ex his verbis Hieronymi S. Bernardinus intelligens ea de beatitudine B. Virginis, colligit, talem beatitudinem esse summam, quæ possibilis est in creatura Verbo non vnita. Relege eorum Patrum verba. 301 *Secundum argumentum.* *Albertus.* *S. Hieron.* *S. Bernardin.*

302 Secundus etiam locus ex Ecclesiastico, *In plenitudine Sanctorum detentio mea*, similiter probat eamdem assertionem. Nam iuxta sensum à S. Bonauentura eo §.144. adhibitum, ea verba generaliter loquuntur de toto ordine

gratiæ

gratiæ, & donis omnibus ad illam spectantibus. Similiter locus tertius ex sermone Gabrielis, *Inuenisti gratiam apud Deum.* Id est, *Propè Deum,* vel *summam post Deum.* Quem de summa gratia possibili intelligit S. Antoninus §. 145. citatus. Etiam generaliter intelligi valet de omni ordine gratiæ, atque adeò de beatitudine B. Virginis, siue de iure ad illam.

303 Quartus etiam ex cantico Deiparæ, *Fecit mihi magna, qui potens est*, eadem generalitate potest intelligi, cùm id verbum *Magna*, eam generalitatem patiatur. Et licèt loquatur de præterito, sicut & textus præcedens, tamen ius ad tantam beatitudinem iam de præsenti habebat. Et est sensus iuxta dicta §. 146. mensuram donorum B. Virginis, & iuris etiam ad beatitudinem, consequenterque mensuram beatitudinis futuræ esse Diuinam Omnipotentiam: atque adeò hæc omnia dona esse maxima possibilia in pura creatura. Quintus etiam

Luc. 10. locus ex Lucæ capite 10. *Optimam partem elegit sibi Maria*, iuxta sensum eo §. 147. à Bernardino exhibitum, apertè loquitur de omnibus donis spectantibus ad ordinem gratiæ, atque adeò idem probat de B. Virginis bea-

Ecclesi. 24. titudine. Sextus etiam ex capite 24. Ecclesiast. *In me gratia omnis viæ, & veritatis*, iuxta interpretationem eorum Doctorum, qui ibi citantur, cum eadem vniuersalitate loquitur. Sicut etiam septimus ex Genesis capite 1. *Congregentur aquæ in locum vnum.* Et octauus ex capite 3. Exodi: *Ne appropies*, inquit, *huc*,

iuxta

iuxta interpretationes ibi datas: atque adeò de summa beatitudine possibili in pura creatura intelliguntur.

Tertium argumentum ex capite 11. etiam militat pro hac assertione. Impossibile enim est, iuxta communem prouidentiam, quòd Deus infinitè diligat creaturam rationalem, & quod eam suo tempore, scilicet in statu comprehendentis, non afficiat beatitudine infinita. Sed Deus diligit B. Virginem dilectione infinitâ, immo & summâ, quæ possibilis est in pura creatura, vt ibidem abundè probatum manet: ergo impossibile similiter est, quòd eam non affecerit beatitudine infinitâ, & summâ quæ possibilis est in pura creatura. Maior ostenditur. Tum quia iuxta communem prouidentiam, quantò magis Deus diligit creaturam rationalem, tantò maiora dona in illam confert, etiam vltra donum gratiæ habitualis: ergo si Deus illam infinitè diligit, eam infinitâ beatitudine donat. Tum etiam quia ad hanc infinitam dilectionem Dei consequitur necessariò gratia habitualis infinita, vt constat ex loco citato; ad gratiam autem infinitam sequitur etiam beatitudo infinita. 304 *Tertium argumentum. Ex infinito Dei amore arguitur infinita beatitudo Virginis.*

Quartum argumentum propositum *cap.* 12. sic instauratur. In cælis enim tantò plus beatitudinis habet creatura, quantò maiorem habet coniunctionem, & adhæsionem ad Deum: sed B. Virgo ex hoc, quod est Mater Dei, habet summam coniunctionem & adhæsionem ad Deum; summam, inquam, quæ possibilis est in pura creatura: ergo & summam beatitudinem possibi- 305 *Quartum argumentum ex summa coniunctione cū Deo.*

possibilem in pura creatura. Maior ex terminis nota est,& Minor ibi satis efficaciter probata, confirmatur ex verbis S.Thomæ citatis ibidem.Quantò magis aliquid appropinquat principio, tantò magis participat effectum illius : sed B.Virgo ita appropinquat principio beatitudinis, nempe Christo Domino,vt non sit possibilis in pura creatura maior appropinquatio : ergo ab eo participat effectum beatitudinis talem, vt non sit possibilis in pura creatura maior beatitudo. Relegenda omninò sunt verba S.Thomæ,vt huius confirmationis efficacia conspiciatur.

S.Thom.

306 Quintum argumentum *c.13.* propositum vrget etiam in beatitudine.Maius est esse Matrem Dei, quàm habere beatitudinem in quavis intensione, etiam infinita, vt constat *ex disput.præced.cap.6.*Ergo cui conceditur,quod est plus,non est, cur denegetur, quòd est minùs,videlicet infinita beatitudo.

Quintum ab excessu Maternitatis suprà beatitudinem.

307 Sextum etiam argumentum, *cap.14.* propositum eadem vi instauratur pro beatitudine infinita,& summa possibili in pura creatura. Hyperdulia enim B.Virgini debita, est maxima adoratio, quæ possibilis est erga puram creaturam : sed si non haberet ius ad beatitudinem infinitam, immò & maximam possibilem in pura creatura, hæc non esset maxima adoratio possibilis erga puram creaturam : habet ergo ius ad talem beatitudinem. Maior latè, & efficaciter probata manet *toto capite* 14. Minor ostenditur. Maxima adoratio possibilis erga puram creaturam debetur maximæ

Sextum in adoratione Deiparæ debita.

ximæ dignitati, quæ in pura creatura possibilis est: sed Maternitas Dei non esset maxima dignitas possibilis in pura creatura, si non haberet ius ad eam maximam beatitudinem possibilem: ergo si non haberet ius ad illam, illa non esset maxima adoratio possibilis ergà puram creaturam. Maior patet ex terminis; & Minor facilè probatur. Maior enim esset illa supernaturalis dignitas puræ creaturæ, cui debita esset illa infinita beatitudo, quàm dignitas, cui ea non est debita, cæteris paribus. Septimum verò argumentum *cap.15.* propositum, desumptum à dispositione præuia, non militat pro beatitudine infinita B. Virginis. *Septimum.*

308 Militat tamen pro ea octauum argumentum *c.16.* propositum. Etenim beatitudinem confert Deus pro mensura meritorum: sed B. Virgo habuit actus infinitè meritorios, vt *ibid.* Latè ostenditur: ergo contulit illi Deus beatitudinem infinitam. Item nonum *cap.17.* propositum; oportet enim, principium vniuersale gratiarum habere eas gratias in gradu infinito, vt ex S. Thom. ibi citato constat: sed B. Virgo modo ibi explicato est principium vniuersale gratiarum, etiam beatitudinis: ergo oportet, illius beatitudinem esse infinitam. *Octauum ex merito infinito.* *Nonum ex eo, quòd Virgo sit principium vniuersale gratiarum*

309 Decimum argumentum *c.18.* propositum, militat pro eadem conclusione. Christus Dominus, etiam vt Deus, tenetur debito naturali pietatis honorare Parentem suam summo honore, quo potest, & cuius est capax pura creatu *Decimum ex debito Christi honorandi parentem*

summo honore. creatura, scilicet iuxta statum suum: ergò postquàm egressa est statum viatricis, & ingressa statum comprehendentis, dedit illi Christus Dominus summum honorem beatitudinis, cuius est capax pura creatura. Vndecimum argumentum *cap.* 19. propositum: Pro mensura dilectionis confert Deus beatitudinem: sed dilectio B. Virginis fuit summa possibilis; ad quam potuit pertingere pura creatura, vt ibidem probatum manet: ergo talis etiam fuit beatitudo.

Vndecimũ ex dilectione B. Virginis erga Deum.

310 Duodecimum argumentum *cap.* 20. propositum desumitur ex ea regula à tot, tantisque Doctoribus admissa. Etenim quando non repugnat Sacræ Scripturæ; neque principiis Fidei, totum illud concedendum est in B. Virgine, quod Deus potest ei tribuere, & ipsa potest recipere; & quod eius dignitatem, & statum decet: sed Deus potest tribuere B. Virgini beatitudinem infinitam, & omnem possibilem in pura creatura, & ipsa capax eius est; & in statu glorificationis ita decet dignitatem Deiparæ; neque est aliquis textus in sacra Scriptura, aliquodve principium Fidei, cui hæc beatitudinis infinitudo resistat: ergo talis beatitudo B. Virgini tribuenda est. Recole suis quæque locis prædicta argumenta, vt eorum efficaciam pro beatitudine summa, & infinita manifestò comperias.

Duodecimum ex eo quod Virgini quidquid maximum, attribuendũ est.

311 Obiicies. Ex eo quòd B. Virgo habeat infinitam gratiam habitualem, non sequitur, quòd debeat habere infinitam gloriam: ergo quamvis primum concesserimus, non vrget conse-

Obiectio.

consequentia ad secundum admittendum. Antecedens probatur. Nam Christus Dominus, qui habet sanctitatem infinitam, non tamen habet gloriam adæquatam meritis, neque sanctitati. Non sanctitati, quia hæc in Christo Domino est increata; gloria autem creata adæquari non potest sanctitati increatæ. Non meritis, quia merita dignificantur à sanctitate increata; quare nullum donum creatum potest illis adæquari.

Respondetur negando antecedens. Et ad probationem, qui dicunt, Christi Domini humanitatem videre diuinam essentiam per visionem increatam, facilè se expedient ab ea difficultate: cum id præmium increatum sufficienter adæquetur sanctitati increatæ, & meritis per eam dignificatis. Sed iuxta communem sententiam id negantem, concedendum est, Christum Dominum non posse habere præmium adæquatum sanctitati increatæ, & meritis ab ea dignificatis, quia tale præmium creatum non est possibile, vt per se patet. Cùm verò possibilis sit infinita beatitudo creata, in qua possibilis est gratia habitualis infinita; fit vt illud subiectum, quod habuerit gratiam habitualem infinitam, debeat etiam habere beatitudinem infinitam: cùm ipsa gratia infinita sit ius ad beatitudinem infinitam. 312 *Soluitur.*

Q. ARTI

ARTICVLVS IV.

Dissoluitur argumentum articulo primo propositum, & prima eius probatio.

313 *Visio Christi superat visionẽ Virginis, licet infinitam.* ANte omnia id tanquam certum statuendum est, quamvis B. Virgo habeat visionem infinitæ intensionis, immò & intensionis maximæ possibilis in pura creatura, adhuc in Christo Domino dari visionem incomparabiliter perfectiorem. Quod supponunt Doctores citati §. 218. *& sequent.* Nam dum dicunt in B. Virgine dari tantam beatitudinem, quantam patitur conditio creaturæ carentis vnione hypostaticâ, euidenter supponunt maiorem esse beatitudinem eius, qui vnione hypostaticâ afficitur.

314 *Intellectum creatũ Christi videre per visionẽ increatam, quidam putant.* Igitur hoc argumentum facilè soluere sibi videbuntur aliqui Theologi docentes intellectum creatum Christi Domini videre diuinam essentiam per visionem increatam. Vnde maxima orietur inæqualitas inter beatitudinem Deiparæ constitutam in visione creata, & beatitudinem humanitatis Christi Domini constitutam etiam in visione increata. Quod autem humanitas Christi Domini videat Deum per visionem increatam, asserunt Ioannes de Neapoli, & Ioannes de Ripa apud P. Ragusa *tom. 1. in 3. part. disp. 82.* *Ioan. de Neap.*

Item

Item Hugo Victorinus apud P. Petrum Hurtado *tom. de Incarnat. disp. 53. sect. 1.* Item aliqui Theologi Parisienses allegati à Gregorio Ariminensi apud eundem Ragusa. Et de possibili admittit, hanc sententiam posse probabiliter defendi P. Petrus Hurtado citatus *sect. 3. subsect. 1.* Et in publicis concertationibus vidi defensari hanc sententiam à grauibus Theologis. *Ripal. Ragusa. Hugo Vict. P. Hurtad. Arimin.*

315 Dices. Beatæ Virgini conceditur tota ea perfectio visionis, cuius est capax pura creatura: sed pura creatura est capax videndi Deum per visionem increatam, si semel ponitur, quòd intellectus creatus Christi Domini est capax illius: ergo etiam B. Virgini concedenda est visio increata. *Instantia.*

316 Sed responderi potest primò, distinguendo Maiorem: concedimus enim B. Virgini totam perfectionem visionis creatæ, cuius est capax pura creatura; non autem visionis increatæ. Sicut enim Vnio hypostatica non potest deberi B. Virgini titulo Matris Dei, eo quòd hæc est dignitas puræ creaturæ, vt diximus §. 243. ita visio increata non potest esse debita, nec titulo Matris, nec titulo infinitæ gratiæ sanctificantis; quia quidquid est Diuinum, est vltra debitum puræ creaturæ, & cuiusvis dignitatis illius. Posset quidem de potentia absoluta (iuxta eam sententiam) constitui visio increata in intellectu creato B. Virginis, sicut etiam posset de potentia absoluta donari vnione hypostaticâ: cæterùm neutra po- *Solutio prima. Visio increata non potest deberi puræ creaturæ.*

Q 2 test

test esse debita dignitati Matris, vt diximus.

317 *Secunda solutio.* Responderi potest secundò, visionem increatam præstituram esse intellectui Christi Domini denominationem multò perfectiùs videntis, quàm intellectui Deiparæ, casu quo de potentia absoluta in intellectu Deiparæ constitueretur. Pro cuius explicatione nota primò, visionem increatam, vt docent Authores eius sententiæ, non præbere totam suam denominatiónem intellectui creato, sed solùm secundùm capacitatem huius. Nota secundò plures intellectus beatos videntes per visionem increatam, posse videre inæqualiter essentiam diuinam, modo explicando infrà, §. 327. Ex his fit, verificari posse, iuxta eam sententiam, quòd multò ampliùs, & perfectiùs videt de facto intellectus creatus Christi Domini per visionem increatam, quàm videret B. Virgo, casu quó illam haberet.

318 *Vera solutio argumenti.* Sed quia hæc sententia non admittitur communiter, ad aliam solutionem clariorem, & veriorem nobis confugiendum est. Et dicendum, visiones Christi Domini, & Deiparæ esse inæquales: quia visio Deiparæ est, quæ debetur gratiæ sanctificanti infinitæ; visio autem humanitatis Christi Domini est, quæ debetur vnioni hypostaticæ. Quas visiones inter se distare, necesse est, eâ proportione, qua vnio hypostaticâ, & gratia habitualis infinita inter se distant. Et sicut vnio hypostatica incomparabili excessus interuallo superat gratiam habitualem infini

infinitam; eadem proportione superare debet visio Filij visionem Matris.

Pro cuius rei claritate suppono cum P. Suarez *lib.6. de Gratia, cap.13. num.9.* & aliis, lumen gloriæ, & visionem beatam esse proprietates connaturales (eo modo, quo actus vitalis potest esse proprietas, saltem mediatè, ratione habitus) gratiæ sanctificantis. Quam ob causam docet idem Doctor, gratiam sanctificantem perfectiorem esse lumine gloriæ & visione. *Et hac ratione*, inquit, *etiam gratia est perfectior, quia est principium radicale luminis, & visionis, cui talis beatitudo debetur, tanquam illi maximè connaturalis.* 319

Lumen, & visio sunt proprietates gratiæ.

Hinc infertur primò, si gratiæ sanctificanti debentur lumen, & visio tanquam proprietates connaturales; à fortiori ratione, deberi vnioni hypostaticæ lumen, & visionem. Quod ita defendit P. Granado *controu. 1. de Incarnat. tract.6. disput.3.* vt asserat, gratiam habitualem, cæterósque habitus supernaturales dimanare reali, & physica emanatione ab vnione hypostatica. Pro qua conclusione allegat S. Thomam *3. part. quæstione 7. art. 13.* Caietanum *ibid.* Durandum *in 3. dist.2. quæst.3.* Toletum *in cap. 1. Joan. annot.47.* Medinam *3. part. quæst.6. art.13. dub.1.* quam multis probat per totam disputationem. Quod consequenter fatetur de lumine gloriæ, admittens vnionem hypostaticam esse actum primum, siue primam radicem, à qua actus vitales supernaturales dependent. 320

Lumen, & visio sunt proprietates vnionis hypostaticæ. Granad.

S. Thomas. Caietanus. Durandus. Toletus. Medina.

321 *Visio debita unioni perfectior est visione debita gratia.* Infertur secundò id, quod suprà diximus, visionem debitam vnioni hypostaticæ (idem esto de lumine) longè perfectiorem esse visione debita gratiæ sanctificanti. Cuius ratio in physicis euidens est. Nam eò perfectior est proprietas, quò perfectior est radix à qua dimanat, cæteris paribus. Cuius innumera suppetunt exempla. Perfectior enim est subsistentia Angeli quàm subsistentia hominis; & vbicatio hominis, quàm equi: quia perfectior est Angelus, quàm homo; & homo, quàm equus. Et ex principiis Theologicis euidens est, maiori sanctitati maiorem beatitudinem deberi.

322 *Instantia.* Sed adhuc vrget illa instantia, quæ proposita est suprà contra præcedentem solutionem de visione increata. Nam hæc visio perfectior debita vnioni hypostaticæ potest saltem de potentia absoluta collocari in intellectu puræ creaturæ: sed Beatæ Virgini conceditur tota ea visio, quæ possibilis est in pura creatura: ergo Beatæ Virgini concedenda est ea visio perfectior, quæ ponitur in Christo Domino. *Confirmatio.* Confirmatur. Nam intellectus creatus tam capax est visionis beatificæ sine vnione ad Verbum, atque cum illa; nam vnio hypostatica non addit vires intellectui: cùm ergo Beata Virgo habeat tantam beatitudinem, quantam capere potest creatura absque vnione ad Verbum; habebit etiam quantam capere potest humanitas, etiam cum vnione ad Verbum: aut si hanc beatitudinem non habuit, apertè infertur,

infertur, quòd non habet B. Virgo omnem beatitudinem, cuius est capax pura creatura.

Pro cuius solutione assero, illam visionem perfectiorem, quæ est in humanitate Christi Domini, non solùm debitam esse vnioni hypostaticæ, sed etiam connexam essentialiter cum illa, ita vt implicet contradictionem, separari ab vnione hypostatica. Et quidem possibilem esse visionem ita essentialiter connexam cum vnione hypostatica, extra dubium esse debet, siquidem illa nullam contradictionem inuoluit, nullumve repugnantiæ, aut absurdi caput ostendit. Præcipuè cùm multis exemplis constet, posse rem aliquam habere essentialem connexionem cum alia entitate, licèt modus non sit; ita vt ab illa, etiam supernaturaliter sit inseparabilis. Nam Theologi, qui dicunt, neque de potentia Dei absoluta fieri posse, vt gratia & peccatum in eodem subiecto copulentur, asserunt, vel gratiam ipsam, vel actionem productiuam illius habere istam connexionem essentialem cum remissione peccati, & omnimodam inseparabilitatem ab illa. Sic etiam multi docent, potentias vitales distingui realiter ab anima, eamque esse ita connexam cum illis, vt nec diuinitus possit anima potentiis orbari. Eandem connexionem constituunt communiter Doctores in entitate respectu suæ vbicationis, & durationis realiter distinctæ, eo quòd implicet, entitatem existere, & nullibi esse, aut non durare in suo esse. Cùm ergo tot entita-

323 *Visio debita vnioni essentialiter connectitur cum vnione.*

tes absolutæ reperiri valeant essentialiter connexæ cum terminis; plane conuincitur, non esse impossibilem visionem beatificam essentialiter connexam cum vnione hypostatica,& quæ extra vnionem hypostaticam nullatenus valeat existere.

324 Supposita ergo possibilitate visionis cum vnione hypostatica essentialiter connexæ, ita de facto contingere in Christo Domino, mihi satis probabile est. Primò,quia ipsa magnitudo Dei hominis persuadet, in thesauris diuinæ omnipotentiæ debere contineri aliquod genus præmij, quod sit incommunicabile puræ creaturæ, reseruandum ei homini, qui verè Deus est. Secundò, quia actus scientiæ infusæ Christi Domini,qui terminatur ad vnionem hypostaticam vt existentem in proprio subiecto, essentialiter præsupponit vnionem hypostaticam in proprio subiecto: præcipuè iuxta sententiam eorum,qui dicunt actum verum intellectus connecti essentialiter cum sua veritate. Etenim ille actus scientiæ respiciens vnionem in proprio subiecto, non verificaretur,si non esset in proprio subiecto constitutus. Sed etiam visio beatifica Christi videt vnionem hypostaticam, vt existentem in proprio subiecto; si enim videt alias creaturas possibiles; hanc inter illas præcipuam (quis dubitat?) videbit: ergo similiter visio beatifica Christi præsupponit essentialiter vnionem hypostaticam, & sine hac existere non potest in alio subiecto. Ecce ergo ostenditur caput, vnde habeat essen-

tialem

tialem connexionem cum vnione hypostatica.

325 *Instantia.* Dices: Supposito, quòd visiones Christi, & Deiparæ, sunt infinitæ intensionis, videtur collocandum infinitum interuallum inter vtramque: atqui id non erit ratione maioris intensionis, cùm intensio visionis B. Virginis sit tota possibilis in pura creatura: non item ratione maioris perfectionis entitatiuæ, quam in ente creato repugnat esse simpliciter infinitam.

326 *Solutio.* Respondetur, admittendo libenter hoc infinitum internallum (licèt vis consequentiæ non extorqueat distantiam vtriusque visionis infinitam) quod videtur decere Maiestatem hominis Dei. Cùm enim inter infinita possit esse vnum maius alio; & vnum infinities maius alio; poteris vtique in Christo Domino admittere visionem infinities intensiorem. Vel quamuis in intensione sint æquales, potest excessus entitatiuæ perfectionis esse talis, vt in ratione perfectionis præcisè æquinaleat aliis infinitis gradibus intensionis; vel aliis modis, quibus id potest excogitari. De quo vide, quæ infrà dicenda sunt capite sequenti circa inæqualitatem gratiæ habitualis Filij, & Matris.

327 *Quomodo possit esse in æqualitas videndi Deum per visionẽ increatam?* Et hinc intelliges secundam responsionem exhibitam in §. 317. instantiæ illi, quæ obiiciebatur contra visionem increatam constitutam in intellectu creato Christi Domini. Supponendo, quòd quamuis quilibet intellectus creatus possit videre Deum per visionem

Q 5 increa

increatam,adhuc poteſt eſſe diuerſitas videndi Deum perfectiùs, & minùs perfectè: quæ diuerſitas poſſet oriri ex diuerſitate vnionis, quâ viſio increata vniretur cum intellectu creato. Vnde iuxta dicta,ſi hæc vnio viſionis increatæ cum intellectu Chriſti Domini habeat eſſentialem connexionem cum vnione hypoſtatica,optimè intelligetur, quomodo intellectus puræ creaturæ non poſſit ita perfectè videre Deum per viſionem increatam,ſicut videt intellectus Chriſti Domini.

328. Ex quibus omnibus facilis conſtat ſolutio ad argumentum initio capitis propoſitum, & primam eius probationem, & ad inſtantias in diſcurſu huius capitis factas. Iam enim conſtat, quomodo falſa ſit illa propoſitio, quòd quælibet pura creatura capax eſt viſionis, cuius eſt capax quilibet intellectus creatus.Cùm enim detur aliqua viſio eſſentialiter connexa cum vnione hypoſtatica, huius non erit capax pura creatura: conſtat etiam ex eodem capite, falſam eſſe illam propoſitionem, quòd eadem viſio Chriſti Domini poſſit conſtitui in intellectu puræ creaturæ, immò nec alia ſimilis. Item admittendum eſt, intellectum creatum maiores vires accipere ab vnione hypoſtatica ad perfectiorem viſionem, quatenus ſine tali vnione, quæ eſt eſſentialiter requiſita, non poſſit haberi ea ſumma viſio, quæ eſt in Chriſto Domino.Maiores,inquam, vires accipit,non quidem per modum principij actiui,vel receptiui,ſed per modum requiſiti.

ARTI

ARTIC. V.

Respondetur ad secundam probationem eius argumenti.

AD secundam probationem respondeo, ex visione infinitæ intensionis, & summæ possibilis, non inferri visionem omnium possibilium. Neque calculatio illa aliquid probat. Quia etiamsi eo ordine assignetur cuilibet gradui intensionis vna creatura, solùm conuincitur videndas esse creaturas infinitas, non verò omnes possibiles; quia solùm infertur, videndas esse tot creaturas, quot sunt gradus visionis. Nam quo fundamento dicetur, non esse plures omnes creaturas possibiles, quàm gradus eius visionis beatificæ infinitè intensæ? Quod idem dico, seruatâ proportione, etiamsi singulis gradibus correspondeant vicenæ, quinquagenæ, aut centenæ creaturæ possibiles. 329 *Visio infinitè intensa non debet videre omnia possibilia.*

Ad id, quod additur in ea secunda probatione, addo & ego, quamvis videret omnia possibilia, non propterea illam esse debere comprehensionem Dei, quod maxima, & optima Theologorum pars propugnat. Id quod in diuersis sententiis circa essentiam comprehensionis diuersimodè explicatur. Quas omnes huc adducere, otiosum duxi: communior dicendi modus est, ad comprehensionem requiri, 330 *Visio attingens omnia possibilia non est comprehensio Dei.*

ri, quòd cognitio adæquet totam cognoscibilitatem passiuam obiecti, atque adeò ad comprehensionem Dei opus esse, quòd cognitio adæquet totam cognoscibilitatem passiuam essentiæ diuinæ, quæ est perfectionis simpliciter infinitæ. Visio ergo creata, etsi habeat infinitam intensionem, est tamen perfectionis finitæ, & limitatæ; vnde fit, quòd non possit adæquare totam cognoscibilitatem perfectionis simpliciter infinitæ. Vide P. Petrum Hurtado *disp.* 48. *de incarnat. sect.* 2. *subsect.* 4. vbi concedens intellectui creato Christi Domini visionem simpliciter infinitam in intensione, his, & similibus argumentis exhibet solutionem.

ARTIC. VI.

Corollarium ex dictis de infinita intensione actuum Deiparæ.

331 ID, quod diximus de visione beatifica Deiparæ, dicendum est, seruatâ proportione, de actibus virtutum B. Virginis, & de inæqualitate illorum respectu actuum Christi Domini. Actus enim virtutum proportionari debent cum mensura sanctitatis, & gratiæ; quæ cùm sit infinita, ipsos etiam infinitè intensos esse, necesse est, præcipuè in illa anima, quæ operatur quantum potest, & applicat totam suam virtutem actiuam. Igitur à tempore, quo B. Virgo habuit gratiam infini

infinitam, asserimus etiam, actus virtutum fuisse infinitè intensos. Quod satis clarè indicat S. Anselmus, cuius vel leuis insinuatio magnum præbet authoritatis pondus, cùm ille tam apertè asseruerit, dignitatem Matris Dei, eiusque gratiam habitualem, & infinitam esse, & summam possibilem in pura creatura. Et ita *lib. de excell. Virg. cap. 4.* ait: *Superat ergo omnes omnium rerum creatarum amores, & dulcedines magnitudo amoris istius Virginis in Filium suum, & dulcedinis immensitas, quâ exultabat, & liquefiebat anima eius in eundem Dominum Deum suum.* Vbi adstruere videtur summum amorem possibilem, & infinitatem, seu immensitatem illius. Et *cap. 5.* vocat immensum dolorem, quo in passione Filij anima eius vulnerata fuit. Et *c. 6.* vocat immensum gaudium, quo affecta fuit in Resurrectione Filij; quod semel, & iterum ibi inculcat. Et *cap. 7.* ait, fuisse immensum amorem ipsius erga Filium. S. Antoninus *4. part. tit. 16. c. 42.* §. 2. & sæpe aliàs, dolorem Virginis in passione Filij vocat immensum. S. Anselm. S. Anton.

332 S. Bernardinus *tom. 4. serm. 47. part. 2. fruct. 12.* asserit, amorem B. Virginis erga Filium, infinitum esse, & eadem proportione dolorem, quo in eius passione affecta fuit, in hæc verba: *Quantò plus amabat Christum Virgo beata, tantò plus dolebat; & amor suus, quem ipsa portabat Christo eius vnigenito filio, erat infinitus.* Quam rationem affert, vt probet suũ illud dictũ, si passio B. Virginis inter omnes creaturas viuentes distribueretur, omnes subitò interituras. S. Bernard.

terituras. Quæ infinitudo passionis dictum illud probat efficaciter. Idem S. Doctor infrà citandus asserit, amorem Virginis ergà Deum esse summum possibilem in pura creatura.

333 Orosius. Paludan. Orosius (apud Paludanum *enarratione de Assumpt. B. Mar.*) misericordiam Virginis dicit esse infinitam, ita inquiens: *Quos non saluat Maria misericordia infinita?*

Albertus. Albertus Magnus *lib. de laudib. Virg. capite* 116. dilectionem Virginis erga Filium fuisse infinitam, asserit verbis relatis suprà, §. 108. Et in fine eiusdem capitis de dolore, quo vulnerata fuit Virgo beata iuxta Crucem filij ait: *In infinitum erat maior dolor B. Virginis, quàm dolor aliorum.* Quod autem is dolor fuerit summus possibilis in pura creatura, testatur idem Albertus *cap.* 116. & 188. & passim alibi. Vide *infrà, §.* 336.

334 Cant. Seru. In Cantico de B. Virgine, quod apud Patres Seruitas multis ab hinc annis consueuit in choro cantari (extat *tom.* 3. *Biblioth. Virgin.*) habetur: *Matrem immensæ castitatis.*

335 Casalius. Busto. Vbertinus Casalius *lib.* 4. *cap.* 15. (vt citat Bernardinus de Busto 10. *part. Marial. serm.* 1. *part.* 1.) constiruit in B. Virgine summum dolorem possibilem in pura creatura, ita differens: *Et quia fundamentum, & radix omnis gratiæ, & meriti est dolor cordis, & corporis Crucis Christi Iesu, ideò B. Virginem tantùm repleuit in summo de Christi doloribus, quantùm non potest capere omnis creatura, materna li statui non euecta.* Et ne aliqnis obiiceret illi æqualitatem in actibus virtutum B.

Virginis

Virginis respectu Christi Domini, paulò antè apposuit excessum Christi. Agens enim de dolore passionis eius, qui fuit actus virtutis, & *ex Spiritus Sancti influxu agitantis mentem ad dolendum*, vt ipse loquitur; asserit, fuisse summum possibilem, & cuius nulla pura creatura capax est. Ita enim ait: *Quantò magis est gratia in anima, tantò est magis voluntaria ad augmentandam in se omnem virtualem dolorem. Vnde & dolores ineffabiles corporis Iesu à gratia vnionis sumpserunt suæ immensurabilitatis augmentum. Vnde & ab aliquibus dicitur, quòd illi dolores fuerunt in corde Iesu à Diuina sapientia dispensati. Quòd sic ego intelligo, quòd Diuina sapientia videns infinitatem culparum, & offensionis, vidit quantum dolorem requirebat plena, & abundans satisfactio earumdem. Et quia nulla pura creatura tantam poterat in se dolorum mensuram, nisi per vnionem Diuini Suppositi dilatare in summo, ideò debebat hominem assumere in vnitate personæ.* Vbi vides primò in actu virtutis *immensurabilitatis* (idest, infinitatis) *augmentum.* Secundò, illud fuisse commensuratum cum gratia vnionis, quæ est simpliciter infinita. Tertiò fuisse commensuratum cum *infinitate culparum.* Quartò, nullam puram creaturam fuisse capacem eius doloris, sed solum naturam Verbo vnitam. Ex quibus patet, actus virtutum B. Virginis fuisse infinitos, excedi tamen incomparabiliter ab actibus virtutum Christi Domini.

Idem asseruit Pelbartus de compassione B. Virgi 336

ARTICVLVS IV.

Dissoluitur argumentum articulo primo propositum, & prima eius probatio.

313 *Visio Christi superat visionē Virginis, licet infinitam.*

ANte omnia id tanquam certum statuendum est, quamvis B. Virgo habeat visionem infinitæ intensionis, imnò & intensionis maximæ possibilis in pura creatura, adhuc in Christo Domino dari visionem incomparabiliter perfectiorem. Quod supponunt Doctores citati §. 218. *& sequent.* Nam dum dicunt in B. Virgine dari tantam beatitudinem, quantam patitur conditio creaturæ carentis vnione hypostaticâ, euidenter supponunt maiorem esse beatitudinem eius, qui vnione hypostaticâ afficitur.

314 *Intellectum creatū Christi videre per visionē increatam, quidam putant.*

Igitur hoc argumentum facilè soluere sibi videbuntur aliqui Theologi docentes intellectum creatum Christi Domini videre diuinam essentiam per visionem increatam. Vnde maxima orietur inæqualitas inter beatitudinem Deiparæ constitutam in visione creata, & beatitudinem humanitatis Christi Domini constitutam etiam in visione increata. Quod autem humanitas Christi Domini videat Deum per visionem increatam, asserunt Ioannes de Neapoli, & Ioannes de Ripa apud P. Ragusa *tom. 1. in 3. part. disp. 82.*

Ioan. de Neap.

Item

Item Hugo Victorinus apud P. Petrum Hurtado *tom. de Incarnat. disp. 53. sect. 1.* Item aliqui Theologi Parisienses allegati à Gregorio Ariminensi apud eundem Ragusa. Et de possibili admittit, hanc sententiam posse probabiliter defendi P. Petrus Hurtado citatus *sect. 3. subsect. 1.* Et in publicis concertationibus vidi defensari hanc sententiam à grauibus Theologis. *Ripa. Ragusa. Hugo Vict. P. Hurtad. Arimin.*

315 Dices. Beatæ Virgini conceditur tota ei perfectio visionis, cuius est capax pura creatura: sed pura creatura est capax videndi Deum per visionem increatam, si semel ponitur, quòd intellectus creatus Christi Domini est capax illius: ergo etiam B. Virgini concedenda est visio increata. *Instantia.*

316 Sed responderi potest primò, distinguendo Maiorem: concedimus enim B. Virgini totam perfectionem visionis creatæ, cuius est capax pura creatura; non autem visionis increatæ. Sicut enim Vnio hypostatica non potest deberi B. Virgini titulo Matris Dei, eo quòd hæc est dignitas pura creaturæ, vt diximus §. 243. ita visio increata non potest esse debita, nec titulo Matris, nec titulo infinitæ gratiæ sanctificantis; quia quidquid est Diuinum, est vltra debitum puræ creaturæ, & cuiusvis dignitatis illius. Posset quidem de potentia absoluta (iuxta eam sententiam) constitui visio increata in intellectu creato B. Virginis, sicut etiam posset de potentia absoluta donari vnione hypostaticâ: cæterùm neutra po- *Solutio prima. Visio increata non potest deberi puræ creaturæ.*

test esse debita dignitati Matris, vt diximus.

317 *Secunda solutio.* Responderi potest secundò, visionem increatam præstituram esse intellectui Christi Domini denominationem multò perfectiùs videntis, quàm intellectui Deiparæ, casu quo de potentia absoluta in intellectu Deiparæ constitueretur. Pro cuius explicatione nota primò, visionem increatam, vt docent Authores eius sententiæ, non præbere totam suam denominationem intellectui creato, sed solùm secundùm capacitatem huius. Nota secundò plures intellectus beatos videntes per visionem increatam, posse videre inæqualiter essentiam diuinam, modo explicando infrà, §. 327. Ex his fit, verificari posse, iuxta eam sententiam, quòd multò ampliùs, & perfectiùs videt de facto intellectus creatus Christi Domini per visionem increatam, quàm videret B. Virgo, casu quo illam haberet.

318 *Vera solutio argumenti.* Sed quia hæc sententia non admittitur communiter, ad aliam solutionem clariorem, & veriorem nobis confugiendum est. Et dicendum, visiones Christi Domini, & Deiparæ esse inæquales: quia visio Deiparæ est, quæ debetur gratiæ sanctificanti infinitæ; visio autem humanitatis Christi Domini est, quæ debetur vnioni hypostaticæ. Quas visiones inter se distare, necesse est, eà proportione, qua vnio hypostaticâ, & gratia habitualis infinita inter se distant. Et sicut vnio hypostatica incomparabili excessus interuallo superat gratiam habitualem infini

infinitam; eadem proportione superare debet visio Filij visionem Matris.

Pro cuius rei claritate suppono cum P. Suarez *lib.6. de Gratia, cap.13. num.9.* & aliis, lumen gloriæ, & visionem beatam esse proprietates connaturales (eo modo, quo actus vitalis potest esse proprietas, saltem mediatè, ratione habitus) gratiæ sanctificantis. Quam ob causam docet idem Doctor, gratiam sanctificantem perfectiorem esse lumine gloriæ & visione. *Et hac ratione,* inquit, *etiam gratia est perfectior, quia est principium radicale luminis, & visionis, cui talis beatitudo debetur, tanquam illi maximè connaturalis.* 319 *Lumen, & visio sunt proprietates gratiæ.*

Hinc infertur primò, si gratiæ sanctificanti debentur lumen, & visio tanquam proprietates connaturales; à fortiori ratione, deberi vnioni hypostaticæ lumen, & visionem. Quod ita defendit P. Granado *controu. 1. de Incarnat. tract.6. disput.3.* vt asserat, gratiam habitualem, cæterósque habitus supernaturales dimanare reali, & physica emanatione ab vnione hypostatica. Pro qua conclusione allegat S. Thomam *3.part. quæstione 7. art.13.* Caietanum *ibid.* Durandum *in 3.dist.2. quæst.3.* Toletum *in cap.1. Ioan. annot.47.* Medinam *3.part. quæst.6. art.13. dub.1.* quam multis probat per totam disputationem. Quod consequenter fatetur de lumine gloriæ, admittèns vnionem hypostaticam esse actum primum, siue primam radicem, à qua actus vitales supernaturales dependent. 320 *Lumen, & visio sunt proprietates vnionis hypostaticæ. Granad. S.Thomas. Caietanus. Durandus. Toletus. Medina.*

321 *Visio debita vnioni perfectior est visione debita gratiæ.* Infertur secundò id, quod suprà diximus, visionem debitam vnioni hypostaticæ (idem esto de lumine) longè perfectiorem esse visione debita gratiæ sanctificanti. Cuius ratio in physicis euidens est. Nam eò perfectior est proprietas, quò perfectior est radix à qua dimanat, cæteris paribus. Cuius innumera suppetunt exempla. Perfectior enim est subsistentia Angeli quàm subsistentia hominis; & vbicatio hominis, quàm equi: quia perfectior est Angelus, quàm homo; & homo, quàm equus. Et ex principiis Theologicis euidens est, maiori sanctitati maiorem beatitudinem deberi.

322 *Instantia.* Sed adhuc vrget illa instantia, quæ proposita est suprà contra præcedentem solutionem de visione increata. Nam hæc visio perfectior debita vnioni hypostaticæ potest saltem de potentia absoluta collocari in intellectu puræ creaturæ: sed Beatæ Virgini conceditur tota ea visio, quæ possibilis est in pura creatura: ergo Beatæ Virgini concedenda est ea visio perfectior, quæ ponitur in Christo Domino. *Confirmatio.* Confirmatur. Nam intellectus creatus tam capax est visionis beatificæ sine vnione ad Verbum, atque cum illa; nam vnio hypostatica non addit vires intellectui: cùm ergo Beata Virgo habeat tantam beatitudinem, quantam capere potest creatura absque vnione ad Verbum; habebit etiam quantam capere potest humanitas, etiam cum vnione ad Verbum: aut si hanc beatitudinem non habuit, apertè infertur,

infertur, quòd non habet B. Virgo omnem beatitudinem, cuius est capax pura creatura.

Pro cuius solutione assero, illam visionem perfectiorem, quæ est in humanitate Christi Domini, non solum debitam esse vnioni hypostaticæ, sed etiam connexam essentialiter cum illa, ita vt implicet contradictionem, separari ab vnione hypostatica. Et quidem possibilem esse visionem ita essentialiter connexam cum vnione hypostatica, extra dubium esse debet, siquidem illa nullam contradictionem inuoluit, nullumve repugnantiæ, aut absurdi caput ostendit. Præcipuè cùm multis exemplis constet, posse rem aliquam habere essentialem connexionem cum alia entitate, licèt modus non sit; ita vt ab illa, etiam supernaturaliter sit inseparabilis. Nam Theologi, qui dicunt, neque de potentia Dei absoluta fieri posse, vt gratia & peccatum in eodem subiecto copulentur, asserunt, vel gratiam ipsam, vel actionem productiuam illius habere istam connexionem essentialem cum remissione peccati, & omnimodam inseparabilitatem ab illa. Sic etiam multi docent, potentias vitales distingui realiter ab anima, eamque esse ita connexam cum illis, vt nec diuinitus possit anima potentiis orbari. Eandem connexionem constituunt communiter Doctores in entitate respectu suæ vbicationis, & durationis realiter distinctæ, eo quòd implicet, entitatem existere, & nullibi esse, aut non durare in suo esse. Cùm ergo tot entita-

323 *Visio debita vnioni essentialiter connectitur cum vnione.*

tes absolutæ reperiri valeant essentialiter connexæ cum terminis; planè conuincitur, non esse impossibilem visionem beatificam essentialiter connexam cum vnione hypostatica, & quæ extra vnionem hypostaticam nullatenus valeat existere.

324 Supposità ergo possibilitate visionis cum vnione hypostatica essentialiter connexæ, ita de facto contingere in Christo Domino, mihi satis probabile est. Primò, quia ipsa magnitudo Dei hominis persuadet, in thesauris diuinæ omnipotentiæ debere contineri aliquod genus præmij, quod sit incommunicabile puræ creaturæ, reseruandum ei homini, qui verè Deus est. Secundò, quia actus scientiæ infusæ Christi Domini, qui terminatur ad vnionem hypostaticam vt existentem in proprio subiecto, essentialiter præsupponit vnionem hypostaticam in proprio subiecto: præcipuè iuxta sententiam eorum, qui dicunt actum verum intellectus connecti essentialiter cum sua veritate. Etenim ille actus scientiæ respiciens vnionem in proprio subiecto, non verificaretur, si non esset in proprio subiecto constitutus. Sed etiam visio beatifica Christi videt vnionem hypostaticam, vt existentem in proprio subiecto; si enim videt alias creaturas possibiles; hanc inter illas præcipuam (quis dubitat?) videbit: ergo similiter visio beatifica Christi præsupponit essentialiter vnionem hypostaticam, & sine hac existere non potest in alio subiecto. Ecce ergo ostenditur caput, vnde habeat essen-

tialem

tialem connexionem cum vnione hypostatica.

Dices: Supposito, quòd visiones Christi, 325
& Deiparæ, sunt infinitæ intensionis, videtur *Instantia.* collocandum infinitum interuallum inter vtramque: atqui id non erit ratione maioris intensionis, cùm intensio visionis B. Virginis sit tota possibilis in pura creatura: non item ratione maioris perfectionis entitatiuæ, quam in ente creato repugnat esse simpliciter infinitam.

Respondetur, admittendo libenter hoc in- 326
finitum internallum (licèt vis consequentiæ *Solutio.* non extorqueat distantiam vtriusque visionis infinitam) quod videtur decere Maiestatem hominis Dei. Cùm enim inter infinita possit esse vnum maius alio; & vnum infinities maius alio; poteris vtique in Christo Domino admittere visionem infinities intensiorem. Vel quamuis in intensione sint æquales, potest excessus entitatiuæ perfectionis esse talis, vt in ratione perfectionis præcisè æquiualeat aliis infinitis gradibus intensionis; vel aliis modis, quibus id potest excogitari. De quo vide, quæ infrà dicenda sunt capite sequenti circa inæqualitatem gratiæ habitualis Filij, & Matris.

Et hinc intelliges secundam responsionem 327
exhibitam in §. 317. instantiæ illi, quæ obiiciebatur contra visionem increatam constitutam in intellectu creato Christi Domini. Supponendo, quòd quamuis quilibet intellectus creatus possit videre Deum per visionem increa- *Quomodo possit esse in æqualitas videndi Deum per visionē increatam?*

increatam, adhuc potest esse diuersitas videndi Deum perfectiùs, & minùs perfectè: quæ diuersitas posset oriri ex diuersitate vnionis, quâ visio increata vniretur cum intellectu creato. Vnde iuxta dicta, si hæc vnio visionis increatæ cum intellectu Christi Domini habeat essentialem connexionem cùm vnione hypostatica, optimè intelligetur, quomodo intellectus puræ creaturæ non possit ita perfectè videre Deum per visionem increatam, sicut videt intellectus Christi Domini.

328. Ex quibus omnibus facilis constat solutio ad argumentum initio capitis propositum, & primam eius probationem, & ad instantias in discursu huius capitis factas. Iam enim constat, quomodo falsa sit illa propositio, quòd quælibet pura creatura capax est visionis, cuius est capax quilibet intellectus creatus. Cùm enim detur aliqua visio essentialiter connexa cum vnione hypostatica, huius non erit capax pura creatura: constat etiam ex eodem capite, falsam esse illam propositionem, quòd eadem visio Christi Domini possit constitui in intellectu puræ creaturæ, immò nec alia similis. Item admittendum est, intellectum creatum maiores vires accipere ab vnione hypostatica ad perfectiorem visionem, quatenus sine tali vnione, quæ est essentialiter requisita, non possit haberi ea summa visio, quæ est in Christo Domino. Maiores, inquam, vires accipit, non quidem per modum principij actiui, vel receptiui, sed per modum requisiti.

ARTI

ARTIC. V.

Respondetur ad secundam probationem eius argumenti.

AD secundam probationem respondeo, ex visione infinitæ intensionis, & summæ possibilis, non inferri visionem omnium possibilium. Neque calculatio illa aliquid probat. Quia etiamsi eo ordine assignetur cuilibet gradui intensionis vna creatura, solùm conuincitur videndas esse creaturas infinitas, non verò omnes possibiles; quia solùm infertur, videndas esse tot creaturas, quot sunt gradus visionis. Nam quo fundamento dicetur, non esse plures omnes creaturas possibiles, quàm gradus eius visionis beatificæ infinitè intensæ? Quod idem dico, seruatâ proportione, etiamsi singulis gradibus correspondeant vicenæ, quinquagenæ, aut centenæ creaturæ possibiles. 329 *Visio infinitè intensa non debet videre omnia possibilia.*

Ad id, quod additur in ea secunda probatione, addo & ego, quamvis videret omnia possibilia, non propterea illam esse debere comprehensionem Dei, quod maxima, & optima Theologorum pars propugnat. Id quod in diuersis sententiis circa essentiam comprehensionis diuersimodè explicatur. Quas omnes huc adducere, otiosum duxi: communior dicendi modus est, ad comprehensionem requiri, 330 *Visio attingens omnia possibilia non est comprehensio Dei.*

ri, quòd cognitio adæquet totam cognoſcibilitatem paſſiuam obiecti, atque adeò ad comprehenſionem Dei opus eſſe, quòd cognitio adæquet totam cognoſcibilitatem paſſiuam eſſentiæ diuinæ, quæ eſt perfectionis ſimpliciter infinitæ. Viſio ergo creata, etſi habeat infinitam intenſionem, eſt tamen perfectionis finitæ, & limitatæ; vnde fit, quòd non poſſit adæquare totam cognoſcibilitatem perfectionis ſimpliciter infinitæ. Vide P. Petrum Hurtado *diſp.* 48. *de incarnat. ſect.* 2. *ſubſect.* 4. vbi concedens intellectui creato Chriſti Domini viſionem ſimpliciter infinitam in intenſione, his, & ſimilibus argumentis exhibet ſolutionem.

ARTIC. VI.

Corollarium ex dictis de infinita intenſione actuum Deiparæ.

331 ID, quod diximus de viſione beatifica Deiparæ, dicendum eſt, ſeruatâ proportione, de actibus virtutum B. Virginis, & de inæqualitate illorum reſpectu actuum Chriſti Domini. Actus enim virtutum proportionari debent cum menſura ſanctitatis, & gratiæ; quæ cùm ſit infinita, ipſos etiam infinitè intenſos eſſe, neceſſe eſt, præcipuè in illa anima, quæ operatur quantum poteſt, & applicat totam ſuam virtutem actiuam. Igitur à tempore, quo B. Virgo habuit gratiam infini

infinitam, asserimus etiam, actus virtutum fuisse infinitè intensos. Quod satis clarè indicat S.Anselmus, cuius vel leuis insinuatio magnum præbet authoritatis pondus, cùm ille tam apertè asseruerit, dignitatem Matris Dei, eiusque gratiam habitualem, & infinitam esse, & summam possibilem in pura creatura. Et ita *lib.de excell.Virg.cap.4.*ait: *Superat ergo omnes omnium rerum creatarum amores, & dulcedines magnitudo amoris istius Virginis in Filium suum, & dulcedinis immensitas, quâ exultabat, & liquefiebat anima eius in eundem Dominum Deum suum.* Vbi adstruere videtur summum amorem possibilem, & infinitatem, seu immensitatem illius. Et *cap.5.* vocat immensum dolorem, quo in passione Filij anima eius vulnerata fuit. Et *c.6.* vocat immensum gaudium, quo affecta fuit in Resurrectione Filij; quod semel, & iterum ibi inculcat. Et *cap.7.* ait, fuisse immensum amorem ipsius erga Filium. S.Antoninus 4.*part.tit.16.c.42.* §.2. & sæpe aliàs, dolorem Virginis in passione Filij vocat immensum. *S.Anselm.* *S.Anton.*

S.Bernardinus *tom.* 4.*serm.* 47. *part.* 2. *fruct.*12. asserit, amorem B.Virginis erga Filium, infinitum esse, & eadem proportione dolorem, quo in eius passione affecta fuit, in hæc verba: *Quantò plus amabat Christum Virgo beata, tantò plus dolebat; & amor suus, quem ipsa portabat Christo eius vnigenito filio, erat infinitus.* Quam rationem affert, vt probet suũ illud dictũ, si passio B.Virginis inter omnes creaturas viuentes distribueretur, omnes subitò interituras. 332 *S.Bernard.*

terituras. Quæ infinitudo passionis dictum illud probat efficaciter. Idem S. Doctor infrà citandus asserit, amorem Virginis ergà Deum esse summum possibilem in pura creatura.

333 Orosius. Paludan. Orosius (apud Paludanum *enarratione de Assumpt. B. Mar.*) misericordiam Virginis dicit esse infinitam, ita inquiens: *Quos non salvat Maria misericordia infinita?*

Albertus. Albertus Magnus *lib. de laudib. Virg. capite* 116. dilectionem Virginis erga Filium fuisse infinitam, asserit verbis relatis suprà, §. 108. Et in fine eiusdem capitis de dolore, quo vulnerata fuit Virgo beata iuxta Crucem filij ait: *In infinitum erat maior dolor B. Virginis, quàm dolor aliorum.* Quod autem is dolor fuerit summus possibilis in pura creatura, testatur idem Albertus *cap.* 116. & 188. & passim alibi. Vide *infrà*, §. 336.

334 Cant. Seru. In Cantico de B. Virgine, quod apud Patres Seruitas multis ab hinc annis consueuit in choro cantari (extat *tom. 3. Biblioth. Virgin.*) habetur: *Matrem immensæ castitatis.*

335 Casalius. Busto. Vbertinus Casalius *lib. 4. cap.* 15. (vt citat Bernardinus de Busto 10. *part. Marial. serm. 1. part. 1.*) constituit in B. Virgine summum dolorem possibilem in pura creatura, ita differens: *Et quia fundamentum, & radix omnis gratiæ, & meriti est dolor cordis, & corporis Crucis Christi Iesu, ideò B. Virginem tantùm repleuit in summo de Christi doloribus, quantùm non potest capere omnis creatura, maternali statui non euecta.* Et ne aliquis obiiceret illi æqualitatem in actibus virtutum B.

Virginis respectu Christi Domini, paulò antè apposuit excessum Christi. Agens enim de dolore passionis eius, qui fuit actus virtutis, & *ex Spiritus Sancti influxu agitantis mentem ad dolendum*, vt ipse loquitur; asserit, fuisse summum possibilem, & cuius nulla pura creatura capax est. Ita enim ait: *Quantò magis est gratia in anima, tantò est magis voluntaria ad augmentandam in se omnem virtualem dolorem. Vnde & dolores ineffabiles corporis Iesu à gratia vnionis sumpserunt sua immensurabilitatis augmentum. Vnde & ab aliquibus dicitur, quòd illi dolores fuerunt in corde Iesu à Diuina sapientia dispensati. Quòd sic ego intelligo, quòd Diuina sapientia videns infinitatem culparum, & offensionis, vidit quantum dolorem requirebat plena, & abundans satisfactio earumdem. Et quia nulla pura creatura tantam poterat in se dolorum mensuram, nisi per vnionem Diuini Suppositi dilatare in summo, ideò debebat hominem assumere in vnitate personæ.* Vbi vides primò in actu virtutis *immensurabilitatis* (idest, infinitatis) *augmentum.* Secundò, illud fuisse commensuratum cum gratia vnionis, quæ est simpliciter infinita. Tertiò fuisse commensuratum cum *infinitate culparum.* Quartò, nullam puram creaturam fuisse capacem eius doloris, sed solum naturam Verbo vnitam. Ex quibus patet, actus virtutum B. Virginis fuisse infinitos, excedi tamen incomparabiliter ab actibus virtutum Christi Domini.

Idem asseruit Pelbartus de compassione B. Virgi 336

Pelbartus. *Albertus.* Virginis in morte Christi, *lib.* 3. *Stellar. p.* 2. *artic.* 1. allegans Albertum Magnum super *Missus est, cap.* 192. ita enim ait: *Et quia hæc puritas, & dilatatio summè fuerunt in Maria, quæ liberè, & sine aliqua rebellione recepit Spiritus Sancti influxus; ideò ipsam Deus, sicut super omnes repleuerat Iesu dulcoribus, ita super omnes repleuit Iesu doloribus; adeò quòd nulla creatura maternali statui non euecta capere potuit.* Et Ambrosius Spiera *serm.* 39. *consider.* 3. *conclus.* 2. ait: *Spiritus Sanctus tantam Virgini fortitudinem in Filij passione contulit, quantam possibile est alicui creaturæ communicari.* *Spiera.*

337 *Est in Virgine specialis ratio infinitudinis amoris erga Deum.* *S. Bernard.* *Busto.* Et quidem de amore erga Deum est specialis ratio, propter quam nulli dignitati gratiæ debitus sit tantus, quantus est in B. Virgine. Et illam tetigit S. Bernardinus (apud Bustum 12. *part. Marial. serm.* 2. *part...*) inquiens: *Ratio Materni amoris eius, qui fertur in Deum vt in filium suum realem, à nullo alio affectu cuiuscumque, qui non est realiter parens Dei, præterquàm ab ipsa, vnquam participari potest.* Quæ ratio probat, nullam creaturam, nisi euectam ad dignitatem Maternitatis Dei, posse ad eum amoris apicem pertingere. Est ergo amor Virginis in Deum, non solùm summus possibilis in pura creatura, sed etiam superans quemlibet alium possibilem puræ creaturæ. Quod nos ostendimus cum Alberto Magno ex hac, & ex duabus aliis rationibus suprà, *cap.* 20. *Albert.*

338 De virtute Humilitatis est etiam specialis ratio.

ratio. Nam cæteris paribus, maior est humilitas Regis, quàm serui: crescit enim humilitas ex dignitate personæ se humilitantis. Cùm ergo non sit possibilis pura creatura æqualis in dignitate Matris Dei, cæteris paribus, non poterit peruenire ad æqualem gradum humilitatis. Et ideò Ambrosius Spiera *serm.* 11. *consider.* 3. *initio*, ait: *Tantùm ex hac Maternitate se humiliauit, quantum humanæ naturæ est possibile imaginari.* Et Armandus de Bellouisu *collat.* 5. §. *Quantum ad* 2. ait: *Christus immensam humilitatem, qua in ea fuit, mirabiliter sublimauit.*

Est specialis ratio infinitudinis humilitatis.

Spiera.

Armādus.

Denique pro hac infinitudine intensionis actuum citandi sunt, qui suprà dixerunt, visionem beatificam B. Virginis esse infinitam, & summam possibilem in pura creatura; cùm par sit vtriusque ratio. Item omnes, qui suprà docuerunt, gratiam B. Virginis esse infinitam, & summam possibilem, quòd actus debent habere intensionem intensioni gratiæ proportionatam. 339

CAP. XXIII.

Tertia difficultas, ex inæqualitate gratiæ Christi, & Deiparæ.

TErtia obiectio est. Si gratia habitualis B. Virginis esset infinita, & summa pos- 340

R sibilis;

ſibilis, eſſet æqualis gratiæ habituali Chriſti Domini: hoc repugnat: ergo repugnat ea gratia habitualis infinita B. Virginis. Minor conſtat, cùm in omni dono ſupernaturali debeat excedere Chriſtus Dominus puram creaturam. Maior verò probatur ſimili probatione, ac in præcedenti argumento. Etenim poſſibile eſt, gratiam habitualem Chriſti conſtitui in pura creatura, ſaltem de potentia abſoluta: ſed B. Virgo habet totam gratiam habitualem poſſibilem in pura creatura: ergò habet totam gratiam habitualem Chriſti Domini. Neque reſponderi valet iuxta normam reſponſionis exhibitæ præcedenti argumento, gratiam Chriſti eſſe perfectiorem, & altioris ordinis, quàm gratiam habitualem B. Virginis. Nam, vt fert communis ſententia, gratia ſanctificans, tam quæ in Chriſto Domino eſt, quàm quæ in B. Virgine, & Sanctis, eſt eiuſdem ſpeciei.

341 *Quædam reſponſio reiicitur.* Reſpondere aliquis poſſet diſtinguendo Maiorem: admittendo ſcilicet, quòd gratia Beatæ Virginis ſit æqualis gratiæ habituali Chriſti ſecundùm phyſicum; negando verò ſecundùm æſtimationem, & dignitatem moralem. Enim verò gratia habitualis Chriſti dignitatem accipit à ſanctitate vnionis, & à ſanctitate increata Verbi. vt *Suarez. Lugo.* expreſsè docent P. Suarez *tom. 3. in 3. part. diſputat. 22. ſect. 1. concluſ. 2.* & Cardin. Lugo *diſput. 16. de Incarn. num. 107.* & paſſim Theologi. Et hoc modo gratia habitualis Chriſti (quamuis ſecundùm phyſicum ſit æqualis)

æqualis) infinite excedit gratiam habitualem B. Virginis.

Quòd autem esset æqualis secundùm physicum, videri posset alicui non esse inconueniens : tum quia ea non est præcipua sanctitas Christi, cùm præcipuam sanctitatem participet ab vnione, & ab essentia Diuina : tum etiam propter dignitatem superiorem, quam ab his ea gratia participat. Quod fortasse confirmari videbitur ex doctrina P. Suarez *tom. 1. in 3. part. disp. 18. sect. 1. §. Tertiò infertur*, vbi docet, potuisse Verbum assumere naturam humanam absque gratia habituali ; *Nullam enim vel physicam contrarietatem, vel moralem indecentiam alicui virtuti contrariam hoc includit.* Si ergo nulla esset indecentia, quòd careret Christus Dominus gratia habituali, eo quòd nulla indiguit gratia accidentali, vt esset sanctus, & gratus Deo, qui per gratiam vnionis abundè sanctificatur ; nulla etiam esset indecentia, si gratia habitualis Christi non superaret secundùm physicum gratiam habitualem B. Virginis ; præcipuè cùm gratia Christi secundùm moralem æstimationem sit infinite maior. Hæc tamen responsio nullatenus admittenda est : tum quia omnia dona in Christo debemus de facto adstruere cum maximo intensionis excessu supra dona quælibet puræ creaturæ : tum etiam ne videatur hæc sententia cogere nos ad eas angustias. 342

343 *Vera responsio* Respondeo ergo, gratiam habitualem Christi Domini, etiam secundùm physicum, es-

 se

Gratia Chriſti eſſentialiter connectitur cum vnione hypoſtatica.

ſe longè perfectiorem intenſiue gratiâ Beatæ Virginis. Et ad probationem reſpondeo illud ipſum, quod cap. præcedenti dixi de viſione beatifica: ſcilicet gratiam habitualem Chriſti Domini eſſe proprietatem debitam vnioni hypoſtaticæ tanquam radici; & cum hac eſſentialiter connexam, adeò, vt nec ſupernaturaliter valeat exiſtere abſque ſocietate vnionis hypoſtaticæ.

Quod ſimili ratione probatur, ac ſuprà probaui de viſione, & lumine. Primò, quia valde credibile eſt, latere in theſauris Diuinæ potentiæ aliquod ſingulariſſimum præmium, non ſolum beatitudinis, ſed etiam habitualis ſanctitatis, reſeruandum illi homini, qui eſt Deus, & incommunicabile cæteris: ergo ita cum Chriſto Domino connexum, vt non poſſit in alio ſubiecto reperiri. Secundò, quia ſicut nulla pura creatura poteſt pertingere ad perfectionem Chriſti; ita æquum eſt, talem eſſe eius gratiam, & habitus, vt nulla pura creatura poſſit ad illorum augmentum pertingere: hæc autem impoſſibilitas non aliunde oriri poteſt, niſi ex eo, quòd augmentum gratiæ, & habituum Chriſti Domini eſſentialiter connectatur cum Chriſto Domino, ita vt omnino proprium illius ſit: dicendum ergo eſt, hoc augmentum eſſe eſſentialiter connexum cum vnione hypoſtatica. Et hinc ad probationem conſtat, falſam eſſe Maiorem.

345 Ad inſtantiam reſpondeo primò, non eſſe

neceſſa

necessarium, quòd gratia habitualis Christi Domini sit diuersæ speciei à gratia B. Virginis, & Iustorum, vt sit infinitè maior quam gratia eorum, præcipuè iuxta sententiam admittentem, intensionem constitui ex gradibus homogeneis: sed discrimen istud maximum constare posse ex sola diuersitate intensionis maioris, & minoris. Etenim cùm vnum infinitum possit esse maius alio, immò infinities maius illo, fit quòd infinitum gratiæ maximum possibile, cuius est capax pura creatura, & inhæret B. Virgini, sit minus infinito gratiæ, quod est in Christo Domino; quod infinities excedit gratiam inhærentem B. Virgini. Qui excessus neque in B. Virgine, neque in alia pura creatura potest existere; quia, vt suprà diximus, habet essentialem connexionem cùm vnione hypostatica. Quomodo autem supra augmentum infinitum possit aliud maius intelligi, considerato seorsim infinito excessu vnius supra aliud, infrà explico, *cap. 25. art. 5.* *Gratia Christi, Virginis, & Iustorum est eiusdē speciei.*

346 Dices. Si illud augmentum gratiæ Christi essentialiter connectitur cum vnione hypostatica, reliqua verò intensio non connectitur; iam gradus non erunt homogenei, & eiusdem rationis. Supponitur autem in responsione, quòd illi homogenei sint: occurro tamen, posse dupliciter intelligi, quòd illud gratiæ Christi augmentum essentialiter connectatur cum vnione: vel ita vt singuli gradus illius augmenti essentialiter connectantur, vel ita vt tota collectio graduum, *Instantia.* *Solutio.*

tota est, connectatur, at nullus gradus determinatus connectatur cum vnione hypostatica. Et quidem vtroque modo defensari potest. Et hoc secundo modo constat, singulos gradus cum singulos gradus cum singulis comparatos homogeneos esse, & eiusdem rationis.

347 Si verò id primo modo intelligatur; responderi potest primò, omnes gradus communes Christo, & puris creaturis, homogeneos esse. Quid interest, si gradus pertinentes ad illud speciale augmentum Christi sint diuersæ rationis comparati cum primis gradibus?

348 Responderi potest secundò, vtrosque homogeneos, & pares esse in ratione gradualis intensionis, quamvis in relatione ad vnionem hypostaticam non sint pares. Sicut calor equi, & calor hominis in ratione temperamenti sunt specie diuersi, vt fert verior sententia, quia respiciunt terminos specie diuersos; hæc tamen heterogeneitas non obstat, quominus quoad gradualem intensionem sint eiusdem rationis, quia secundus non præsupponit primum, nec requiritur, quòd secundus sit primo perfectior. Quod in præsenti contingit.

349 Quia tamen in sententia de gradibus heterogeneis non facilè intelligitur, quomodo ex duabus qualitatibus adæquatis infinitè intensis vna sit intensior alia propter illum ordinem excessus, qui singulis gradibus adscribitur: ideò in ea sententia potest probabiliter responderi, gratiam sanctificantem Christi

Probabile est gratiam Christi esse eiusdē speciei Theologica, non phisica, cū gratia aliorum.

sti, Domini esse eiusdem speciei Theologicæ, cum gratia Beatæ Virginis, & iustorum; non verò eiusdem speciei physicæ. Enim verò diuersitas specifica entium supernaturalium dupliciter considerari potest, vel secundum considerationem physicam, vel secundùm Theologicam. Consideratio physica attendit ad omnem diuersitatem, quæ prouenit ex entitate physica entis supernaturalis, & omnibus prædicatis realibus illius. Consideratio Theologica solùm attendit ad illam diuersitatem, quæ prouenit ex prædicatis principaliùs constituentibus in esse gratiæ: hæc enim dumtaxat, & non omnia generaliter, pertinent ad Theologum.

Ita contingit in actibus vitalibus, qui secundùm probabiliorem sententiam specificantur etiam ab obiectis materialibus: & ita actus Fidei diuinæ, quamvis in ordine ad diuersa obiecta materialia sint specie diuersi secundùm considerationem physicam; tamen secundùm considerationem theologicam sunt eiusdem speciei. Et ita probabile est, contingere in gratia Christi, & iustorum. Nam in modo iustificandi, qui præcipuè attinet ad Theologum, vtraque gratia est eiusdem rationis. Potest autem dici, quòd est speciei diuersæ, propter relationem, quam gratia habitualis Christi dicit ad vnionem hypostaticam, tanquam proprietas ad radicem; quem respectum ad vnionem non habet gratia habitualis iustorum. Quæ diuersitas potiùs spectat ad physicam 350

Actus Fidei sunt; eiusdē speci, i Theologica, non physica.

considerationem. Et quidem hanc diuersitatem inter gratiam Christi, & iustorum expressè admittunt illi Doctores, qui dicunt, intensionē fieri per productionē qualitatis physicè perfectioris: iuxta quos gratia Christi Domini est qualitas physicè perfectior, consequenterque diuersæ rationis à gratia iustorum. Hi autem Doctores sunt Durandus *in* 1. *distinct.* 17. *quæst.* 7. *numero* 25. Gofredus *quodlib.* 11. *quæst.* 3. & Albertus apud P. Suarez *disputat.* 46. *Metaph. section.* 1. *num.* 2.

Durand. *Gofred.* *Albert.*

351 *Instantia.* Instabis. Ex hac responsione infertur, quòd non rectè verificetur illud dictum Ioannis 1. *Plenum gratiæ, & veritatis.* Nam ad hanc plenitudinem exactè verificandam, ex communi sensu Theologorum, requiritur, quòd nulla species gratiæ reperiatur in creaturis, quæ non reperiatur etiam in Christo Domino, velut in plenissimo fonte: sed si gratia habitualis Christi Domini esset entitatiuæ perfectionis diuersæ à gratia habituali iustorum, iam hæc species gratiæ habitualis iustorum non reperiretur in Christo Domino: ergo iam non esset in Christo hæc omnimoda gratiarum plenitudo. Asserendum ergo est, vtramque gratiam esse debere eiusdem omnino speciei, & perfectionis.

352 *Prima solutio.* Responderi potest primò, optimè verificari, eamdem gratiam, quæ in iustis, reperiri in Christo, eo quòd eadem est secundùm præcipua, & essentialia prædicata, & secundùm speciem Theologicam; sicut optimè verificatur,

tur, quòd vnica, & eadem Fides reperitur in omnibus fidelibus, eò quòd sit eadem secundùm speciem Theologicam, quamvis actus Diuinæ Fidei sint in specie physica diuersi.

Responderi potest secundò, non ita vniuersaliter intelligendum esse, quòd Christus Dominus habuerit plenitudinem gratiarum, vt quidquid gratiæ, & virtutis fuerit in iustis sine vlla exceptione, reperiri debeat etiam in Christo Domino. Etenim neque fides, neque spes fuerunt in anima Christi, vt docet S. Thomas *3. part. quæst. 7. art. 3. &* 4. & cum eo Theologi communiter. Neque id reputatur inconueniens, quia obiectum Fidei, & Spei perfectiori alio modo attingit anima Christi. Cùm ergo anima Christi habeat perfectiori modo, & per speciem perfectiorem, totam gratiam sanctificantem existentem in iustis; id dicendum est sufficere ad plenitudinem gratiarum Christi propriam. 353 *Secunda solutio.*

354 Quod non solùm verum est de Fide, & Spe, sed & de aliis etiam generibus gratiarum. Nam dilectio supernaturalis Dei (& sic de aliis actibus) est gratia actualis, & differt ab habituali; & tamen aliquæ species dilectionis supernaturalis, quæ reperiuntur in creaturis, non reperiuntur in Christo Domino. Primò enim dilectio, quæ est in Angelo specie differt à dilectione, quæ est in homine, atque adeò ab ea, quæ est in Christo; quia eæ duæ dilectiones specificantur à principiis specie diuersis. Secundò, iuxta veram sententiam S. Thomæ, quæ actus vitales propugnat in-

distinctos ab actionibus, & vnionibus sui cum potentiis, dilectio, quâ peccator iustificatur, & quæ consequenter non procedit ab habitu charitatis præsupposito, differt specie à dilectione, quâ iustus diligit, & quæ ab habitu charitatis procedit; eo quòd necesse est, actiones esse specie diuersas, quoties aliquod comprincipium efficiens specie diuersum est. Tertiò, nam si verum est, vnionem hypostaticam influere efficienter in habitus, & actus supernaturales Christi, consequenter ad sententiam probabilem propositam §. 320. inde fit, dilectionem Christi esse physicâ specie diuersam à dilectione supernaturali puri hominis: eo quòd dilectio Christi specificatur ab vnione hypostatica tanquam à comprincipio effectiuo; non autem dilectio, quæ est in puro homine.

355 *Tertia solutio.* Sed respondebis tertiò, & faciliùs, si omittas, vel admittas propter hanc plenitudinem gratiarum constituendam in Christo, non solùm in illo esse eam gratiam entitatiuè perfectiorem, sed etiam reliquas, quotquot fuerint, species physicas gratiæ in B. Virgine, & iustis. Quod magis extollit magnitudinem decoris, & pulchritudinis, & quasi gemmarum, quibus speciosus formâ præ filiis hominum plenissimè ornatur.

CAP.

CAPVT XXIV.

Quarta difficultas, quòd hæc doctrina non conueniat cum vera Philosophia de gradibus homogeneis, & heterogeneis.

QVartò obiicitur. Vel gradus gratiæ B. 356
Virginis ſunt homogenei, vel heterogenei, quidquid dicatur, pugnat cum infinita gratia habituali B. Virginis: ergo hæc non eſt concedenda. Probatur Minor. Et in primis ſi homogenei ſunt, infertur id abſurdum, quòd omnis gratia, quæ ſparſa, & diſtributa eſt per omnes animas rationales, & beatos ſpiritus, immò & ea, quæ eſt in Chriſto Domino, ſit eadem numero in B. Virgine. Id autem ita inferri, probatur. Nam iuxta ſententiam de gradibus homogeneis, omnes gradus, qui reperiuntur in diuerſis ſubiectis, ſi conueniunt in vnum, faciunt intenſionem; & ſi non conueniunt in vnum, non reſultabit tota intenſio poſſibilis: ergo non erit in B. Virgine tota intenſio poſſibilis gratiæ habitualis, niſi in illam conueniat omnis gratia, quæ repetitur in iuſtis omnibus. Vnde iam idem numero accidens exiſteret in tribus ſaltem ſubiectis; quod eſt contra principia philoſophica.

Si

357 Si verò dicatur, gradus esse heterogeneos, inde infertur, quòd cum tempore Incarnationis Verbi receperit B. Virgo gratiam habitualem infinitè intensam; postea reliquo vitæ tempore non potuerit augere, aut mereri ampliorem gratiam, & consequenter neque ampliorem gloriam. Quod in hac sententia manifestum videtur: etenim supra totam infinitam intensionem non potest fieri additio alicuius gradus: item si gradus sunt heterogenei, & infiniti, non possunt alij gradus cum illis interpolari; cùm in hac sententia inter primum, & secundum gradum non possit alius intercipi, & sic de reliquis: ergo semel positis infinitis gradibus heterogeneis, non potest ea gratia ampliùs augeri.

358 Et quidem hanc B. Virginis excellentiam non debemus alligare vni dumtaxat opinioni probabili: & ideò in quavis harum opinionum defendi posse, ostendam, ne qui heterogeneam potiùs, quàm homogeneam intensionem amplectitur, quasi alienus videatur ab hac Virginis excellentia amplectenda. Et quod attinet ad gradus homogeneos, responderi potest primò, si ad defendendam hanc summam B. Virginis sanctitatem necessarium esset admittere eandem numero gratiam in duobus, tribus, vel pluribus subiectis, id quidem sine absurditatis nota admitti deberet. Nam, vt optimè notauit P. Franciscus Turrianus *tract.1. de Euchar.cap.5.* circa mysteria Fidei, veritates Theologicæ non debent cedere placitis Philosophiæ; quin potiùs placita

Primò solutio.

Philoso

Philosophiæ, præsertim topica, eo itinere ducenda sunt, quo sententiis Theologicis famulentur.

359 Huc accedit, quòd P. Ludouicus Meratius *tom. 3. tractat. de Incarnatione, disp. 23. sect. 4.* docens, habuisse Christum Dominum gratiam infinitè intensam, ait, esse in Christo Domino eandem numero gratiam, quæ est in reliquis iustis: consequenterque *aliquos numero habitualis gratiæ gradus esse in pluribus subiectis, & locis, productosque proinde fuisse per multiplicem actionem, seu eductionem ex multis subiectis.* Idque ita decere videtur principium vniuersale gratiarum, quod quasi iure suo videtur sibi postulare totum illud, quod aliis refundit. Iuxta quam sententiam similiter nullum erit inconueniens, quòd eadem numero gratia, quæ in iustis, reperiatur in B. Virgine, quæ etiam est principium vniuersale gratiarum, licèt secundarium, vt ostendimus *cap. 16.* quamvis ad hoc sit necessarium, quòd aliqui gradus gratiæ sint in pluribus subiectis, eorumque actiones productiuæ plurificentur. Enim verò illud dogma philosophicum, quod accidens spirituale non potest subiectari in pluribus subiectis, merè topicum est, neque facilè inuenientur argumenta vrgentia, quibus illud probetur. Et quamvis illud euidens sit iuxta communem prouidentiam, aut naturæ leges, neque ex his, neque ex illa priuilegia B. Virginis mensuranda sunt: cùm potuerit Deus ad gloriam B. Virginis has & illam prætermittere. Et hæc

Meratius. Eadem numero gratia, quæ est in iustis est etiam in Christo.

hæc prima responsio sit pro iis, qui in sententiam P. Meratij inclinauerint.

360 *Secunda solutio.* Assero tamen, posse inueniri alias semitas probabilitatis, quibus non admittatur, reperiri eandem numero gratiam in Christo, in B. Virgine, & in reliquis iustis. Et ideò responderi potest secundò iuxta sententiam, quam vt probabilem defendit P. Arriaga *tom. 2. in 1. 2. disp. 46. sect. 1.* scilicet gratiam sanctificantem vniri se ipsâ cum subiectis, & sine alia vnione realiter distincta, & hac ratione esse entitatem modalem. Quod etiam asserit Ioannes Vincentius apud P. Arriaga citatum. Docet enim hic author, actum contritionis perfectæ esse formam iustificantem; eoque transacto, relinqui posse ab ipso quemdam modum in anima habitualiter permanentem, & iustificantem ipsam animam.

Gratiam esse entitatem modalem, est probabile.

Arriaga. Ioan. Vinc.

361 Et quidem esse entitatem modalem, non repugnat conceptui formæ sanctificantis. Primò, quia vnio hypostatica, secundùm communem sententiam, formaliter sanctificat; cùm tamen sit modus. Deinde nam probabilior sententia docet, omnes actus vitales esse indistinctos ab actionibus, & vnionibus sui cum subiectis, consequenterque esse entia modalia; cùm tamen iuxta probabilem sententiam multorum sint etiam formæ iustificantes. Eodem ergo modo non repugnabit, gratiam habitualem esse modum, & vnionem sui cum subiecto.

362 Iam verò si gratia sanctificans modus est, & vnio sui cum obiecto, manifestum est,

quòd

quòd gratia, quæ est in D. Petro, reperiri non potest in B. Virgine. Vnio enim essentialiter connectitur cum suo subiecto, & consequenter reperiri extra illud neutiquam potest, nec mutare illud valet, aut alteri denuo accedere. Vnde si gratia habitualis inhærens D. Petro est vnio sui cum ipso, nunquam poterit alteri subiecto inhærere.

Tertiò respondeo, gratiam habitualem B. Virginis, etiamsi distincta sit ab vnione inhærentiæ, secundùm omnes, & singulos suos gradus habere essentialem connexionem cum dignitate Matris Dei; ita vt nulli alteri puræ creaturæ illa possit communicari. Sicut enim suprà §. 343. diximus, posse probabiliter defendi, gratiam habitualem, quæ est in Christo, essentialiter connecti cum vnione hipostatica; eadem proportione defendi potest, & ob similes rationes, gratiam B. Virgini inhærentem connecti cum dignitate Matris, cui talis gratia debetur, tanquam proprietas radici morali. Eritque diuersæ rationis à gratia iustorum secundùm considerationem physicam, non secundùm Theologicam, vt suprà diximus. Atque ita gratia sanctificans, quæ B. Virgini inest, non poterit reperiri, etiam secundùm aliquos sui gradus in reliquis sanctis; & consequenter non poterit facere intensionem cum gratia habituali illorum. Et quidem quod aliqua dona gratiæ ita sint propria B. Virginis, vt nulli alteri creaturæ possibili sint communicabilia, propugnatum legimus in assertis Salmanticensibus à P. Ioanne Barbiano 363

Tertia solutio.

Gratia B. Virginis habet essentialem connexionem cum Maternitate.

assert.

assert. 3. illis verbis: *Sunt enim nonnulla* dona creata, *& quidem nobilissima, ipsi* (Christo) *tantùm possibilia: sicut & alia solius Deiparæ propria; quibus etsi omnes possibiles creaturæ omnibus sibi possibilibus donis ornatæ reipsa existerent, eminus ipsa prairet.*

Si verò amplectaris sententiam de gradibus
364 heterogeneis, iuxta illam poteris tueri hanc B. Virginis gratiam infinitè intensam. Ad id, quod additur de gratia infinita, quæ non potuisset ampliùs reliquo vitæ tempore augeri, dicetur capite sequenti.

CAPVT XXV.

Quinta difficultas de tempore, à quo cœpit habere gratiam infinitam, & totam possibilem.

ARTIC. I.

PROPONITVR DIFFICVLTAS.

365 QVintò obiicitur. Vel dedit Deus B. Virgini totam gratiam habitualem possibilem, in instanti Incarnationis Verbi Diuini; vel in extremo vitæ articulo: quidquid dicatur, est impossibile: ergo non habuit totam gratiam, quæ possibilis est in pura creatura. Maior patet; nam alterutrum videtur tempus opportunum ad vltimam perfectionem eius gratiæ.

gratiæ. Minor verò probatur. Et in primis, si dicatur, accepisse tempore Incarnationis totam gratiam possibilem, sequitur, B. Virginem in reliquo vitæ cursu non meruisse ampliorem gratiam; cùm post totam non restet amplior.

Ex hoc autem multa absurda videntur inferri. Primum, quòd existens in hoc sæculo non fuerit viatrix à tempore Incarnationis; cùm ab eo puncto non fuerit in statu merendi: vnde caruisse dicemus, & statu viatricis, & comprehendentis, quod est inauditum. Secundum, quòd toto eo tempore operibus bonis non meruerit gloriam; siquidem meritum gratiæ, & meritum gloriæ semper associantur. 366

Quòd si dicatur, recepisse B. Virginem tempore Incarnationis non totam, sed infinitam gratiam habitualem; in extrema verò vitæ periodo accepisse totam possibilem, postquàm illam toto vitæ tempore suis operibus meruit: contrà est. Nam si semel admittatur, quòd habens dignitatem Matris Dei, in aliquo tempore non habuerit totam gratiam possibilem; corruit præcipuum fundamentum huius sententiæ, quæ tota in hac summa dignitate possibili nititur. 367

S ARTI

ARTICVLVS II.

B. Virginem à tempore Incarnationis accepisse summam gratiam sibi possibilem, authoritate probatur.

368 Suarez. P. Suarez *tom. 2. in 3. part. disp. 18. sect. 1.* acriter impugnat sententiam eorum, qui docent, B. Virginem ab instanti Conceptionis Filij Dei non potuisse crescere in gratia, neque ampliùs mereri. Addiditque, sibi non esse probabilem. Et meritò, quia negari non potest, quòd toto tempore vitæ meruerit, vtpotè perseuerans in statu viæ. Quomodò autem cohæreant hæc duo, quòd scilicet à puncto Incarnationis habuerit totam gratiam, & quòd in reliquo tempore vitæ meruerit, ex infrà dicendis satis constabit.

369 Dicendum igitur est, à tempore Incarnationis Beatam Virginem accepisse summam gratiam sibi possibilem. Et quidem S.Thom. S. Thomas *3. part. quæst. 27. artic. 5. ad 2:* satis expressit, Beatam Virginem non creuisse in gratia ab eo puncto temporis, sed ex tunc totam sibi fuisse datam, his verbis: *In Beata Virgine fuit triplex perfectio gratiæ. Prima quidem quasi dispositiua, per quam reddebatur idonea ad hoc, quòd esset Mater Christi; & hæc fuit perfectio sanctificationis: secunda*

da autem perfectio gratiæ fuit in Beata Virgine ex præsentia Filij Dei, in eius vtero Incarnati: tertia autem, perfectio finis, quam habet in gloria. Idque paulò pòst ampliùs explicat: *Primò in sui sanctificatione adepta est gratiam inclinantem eam ad bonum; in Conceptione autem Filij Dei consummata est eius gratia confirmans eam in bono: in sui verò glorificatione consummata est eius gratia, perficiens eam in fruitione omnis boni.* Ecce, iuxta D. Thomam, consummata est eius gratia in conceptione Filij, neque vlteriorem perfectionem admittit, nisi quæ perfecit *eam in fruitione omnis boni.* Similiter in eo loco, quem suprà citaui §. 155. adstruit summam gratiæ plenitudinem in B. Virgine ex summa propinquitate ad verbum, quam habuit ratione Maternitatis. Quæ cùm fuerit à puncto Incarnationis, clarè arguitur, summam gratiæ plenitudinem ex tunc ei datam fuisse.

Quod idem asserit S. Damascenus *orat. 1. de Dormitione Deiparæ*, apud Suarium citatum; vbi ita ait: *Mors enim eos* (id est, alios sanctos) *perficit, beatosque ostendit: id videlicet ipsis afferens, vt in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat: minimè tamen hoc in te vsurpabimus. Neque enim mors tibi beatitudinem attulit, neque migratio perfectionem conciliauit: omnium etenim bonorum initium, medium, & finis, securitas etiam, ac vera confirmatio in illa seminis experte Conceptione posita fuit.* Itaque totum gratiæ cumulum, quem Beata Virgo habuit, datum esse ei in Conce- 370 S. Damasc.

ptione Filij, censet apertè Damascenus.

371 Hoc ipsum (apud P. Suarez citatum) affirmant Scotus *in 4. dist. 4. quæst. 6. ad 5.* Almainus *in 3. dist. 3. quæst. 3.* Richardus *ibid. art. 1. q. 4.* Alensis *3. p. q. 9. membr. 3. art. 2. §. 2. ad 1.*

Scotus. Almain. Richard. Alensis.

372 Quòd autem habuerit totam gratiam sibi possibilem, à puncto temporis, quo Filium Dei concepit, planè testantur ferè omnes Patres, & Doctores, qui suprà initio disputationis dixerunt, B. Virginem habuisse summam gratiam possibilem in pura creatura; nam ferè omnes loquuntur de tempore Incarnationis. Et in primis S. Anselmus citatus §. 4. apertè dixit, conceptionem Verbi fieri debere de Matre, quæ eam puritatem haberet, *quâ maior sub Deo nequit intelligi.* Quod ad tempus conceptionis Verbi referri quis dubitet?

S. Anselm.

373 Deinde Albertus Magnus citatus §. 39. agens de ea puritate, quam adstruit Anselmus in B. Virgine à puncto Incarnationis, ait, quòd ea puritas fuerit *gratuitarum virtutum vltimatio, & summa, & vltima perfectio.* Et loco *ibid.* citato asserit, ideò dictam fuisse ab Angelo gratiâ plenam, *quoniam eius gratia tanta fuit, quòd pura creatura non fuit maioris gratiæ capax.* Quod idem repetit alio in loco, *cit.* §. 136. vbi dicit, vocatam fuisse gratiâ plenam, quia *sola tantum recepit de gratia, quòd nulla pura creatura plus recipere potuit.* Et *lib. de Laudib. Virg. c. 68.* agens de tempore, quo recipiebat Eucharistiam, ait: *Augmento enim charitatis non indiguit, quia plena charitate fuit.* Et *cap. 96.*

Albertus.

paulò

paulò ante finem, ait: *Credimus etiam sine præiudicio melioris sententiæ, Beatissimam Virginem in conceptione Filij Dei, charitatem Filij talem accepisse, qualis, & quanta pertingi poterat à pura creatura in statu viæ.* Et c. 120. agens de superuentione Spiritus Sancti, & accommodans iuxta S. Bernardum, B. Virgini illud Isaiæ 11. *Et requieuit super eum Spiritus Domini*, addit: *Ergo & super eam requieuit Spiritus Sanctus: sed requies est priuatio motus; sed augmentum & diminutio sunt motus: ergo si habuit Spiritū sanctū, fuit sine motu: ergo sine augmento: ergo in summo.* Idem docet c. 179.

S. Antoninus citatus §. 42. ait, gratiam, quam B. Virgo inuenit apud Deum, secundùm verbum Gabrielis, esse illam puritatem, quâ, iuxta Anselmum, *maior sub Deo nequit intelligi*. Manifestum est autem, quod Gabriel Archangelus non loquatur de gratia successiuè habenda post Incarnationem, cùm loquatur per id præteritum, *Inuenisti*. Et loco ibidem inferiùs citato ait, ideò dictam fuisse gratiâ plenam, *quia maioris gratiæ capax non fuit pura creatura.* Quis autem dubitet, id ad tempus Incarnationis referri, cùm tunc dicatur, esse gratiâ plena. Quod idem patet ex duobus aliis locis inferiùs citatis. 374 *S. Anton.*

Bartholomæus Pisanus citatus §. 43. asserit etiam, plenitudinem gratiæ, de qua loquitur Gabriel tempore Incarnationis, esse illam puritatem, de qua ait Anselmus: *Quâ maior sub Deo nequit intelligi.* Et loco inferiùs 375 *Pisanus.*

 allegato

allegato ait, i. le) dici gratiâ, plenã *quia* habuit *gradum quoad gratiam possibilem creaturæ.*

376 Pelbart. Similiter Pelbartus citatus §. 45. affirmat, quòd Beata Virgo dicitur ab Angelo gratiâ plena tempore Annunciationis, *quia enituit ea puritate, quâ sub Deo maior nequit intelligi.* Et *lib.* 1. *Stellar. part.* 3. *art.* 3. *cap.* 6. ait, dictam fuisse ab Angelo gratiâ plenam, quia *sola tantùm recepit de gratia, quòd nulla pura creatura plus recipere potuit.* Specialiter autem *lib.* 8. *Stellar. part.* 3. *art.* 2. *cap.* 1. postquàm dixit *art.* 1. quòd Maria nituit ea puritate, quâ maior sub Deo nequit intelligi; obseruans, nomine puritatis intelligi non solùm recessum à peccato, sed etiam approximationem ad Deum, quærit *in art.* 2. *c.* 1. quando eam tantam puritatem acceperit; & num in statu viæ? Et allegans Albertum Magnum, respondet, quod in statu viæ propter multas rationes; & subdit: *Prima ratio est summæ donationis, quia ad dationem summi doni sequitur collatio omnium inferiorum, &c. Sed Dominus B. Virgini summum donum donauit, cuius capax fuit pura creatura, scilicet Dei Maternitatem, ergo & summam puritatem.* Asserit ergo, ad donationem Maternitatis sequutam fuisse summam puritatem, & collationem omnium donorum gratiæ. Quæ verba desumpsit ex Alberto, & relata sunt §. 123.

377 Spiera. Ambrosius Spiera citatus §. 50. ait, quòd *Ex hac singulari Maternitate gloriosa Virgo tantam suscepit gratiã, quãta est possibilis humanæ creaturæ suscipere, & Deo glorioso infundere.*

re. Consequenterque id factum fuit à tempore eius singularis Maternitatis. Et loco *ibid.* inferiùs allegato ait: *Omnes enim Doctores nostri concedunt, quòd ex quo Virgo incepit esse Mater Dei, quod fuit finitis illis verbis, Ecce ancilla Domini, &c. mox in illam omnes gratiæ possibiles humanæ creaturæ cum benedicto Verbo pariter descenderunt.* Idem repetit *serm.* 11. *consider.* 3. *conclus.* 1. vbi totam gratiam possibilem concedens, addit: *Et non videtur, quòd in alio actu, quàm in hoc, quòd est facta Mater Dei.*

Pro eodem stat Augustinus de Ancona citatus §. 49. agens de tempore Annunciationis, & de iis Angeli verbis: *Gratiâ plena,* ait enim inter alia: *Plenitudo gratiæ B. Virginis in istis quatuor excessit gratiam datam, & possibilem dari cuilibet creaturæ.* Idem habet Daniel Agricola citatus §. 51. loquens de tempore Annunciationis, & de summa sanctitate possibili tunc accepta. Quod idem dicunt Abulensis, Alanus, B. Andreas in reuelationibus Amadei, & alij *ibid.* citati, quatenus dignitati Matris attribuunt omnem gratiam possibilem in pura creatura; nam cùm dignitas Matris ab eo puncto cœperit, idem de tota gratia possibili B. Virgini infusa absque dubio censuerunt. Ita quidem procedunt prædicti Doctores Anselmi assclæ, qui & loquuntur de puritate positiua, & de tempore conceptionis Filij Dei. Videamus modò reliquos. 378 *Ancona.* *Dan. Agr.* *Abulens.* *Alanus.* *S. Andr.* *Amadeus.*

S. Hieronymus citatus §. 61. dixit, ideò 379

S. Hier. dictam ab Angelo gratiâ plenam, quia *cæteris per partes, Mariæ verò se tota infudit plenitudo gratiæ*: ergo totam plenitudinem habuit à tempore, quo dicta est gratiâ plena. Et S. Bernard. S. Bernardinus citatus §. 62. *In illa Spiritus Sancti obumbratione, quâ B. Virgo concepit Filium Dei, tantam largitatem, & copiam Spiritus Sancti accepit, quantùm potest creatura viatrix recipere, non Deo vnita vnitate personæ.* Quod probat eo dicto Hieronymi proximè citato. Et ferè eadem repetit loco citato, *in* §. 130. Et similiter pro eodem stant omnes illi, qui dicto Hieronymi annuunt, & vtuntur, quos retuli §. 63.

389 S. Beda. S. Beda citatus §. 59. ait, dictam ab Angelo gratiâ plenam, *vt quantum Spiritus Sanctus valeret, ostenderet*: ergo tunc tantùm dedit gratiæ, quantùm valuit, atque adeò omnem S. Basil. possibilem. Et S. Basilius citatus §. 60. quatenus de tempore, quo prophetabat in domo Elizabathæ, dixit, quòd iam *totam sibi hauserat Spiritus gratiam.*

381 Guarric. Asserit quoque Guarricus allegatus §. 69. ante conceptionem Verbi debuisse totam accipere sanctificationem possibilem, præcipuè illis verbis: *Antea namque purificanda erat natura mortalis, vt Deum conciperet, non postea, quia concepisset. Cùm concepisse sanctum sanctorum summa sanctificatio sit; & eâ, quæ Mater ipsius sanctificati effecta sit, nihil sanctius esse possit.*

382 S. Bonau. Idem satis significat S. Bonauentura allegatus §. 71. dum ait; *Maiorem Matrem, quàm*

quàm Matrem Dei, non posset facere Deus. Nam, vt ex ibi dictis abundè constat, sensus est, eo ipso quòd fuit Mater Dei, non potuisse fieri à Deo digniorem, aut sanctiorem. Ex quo clarè infertur, à tempore Maternitatis non potuisse crescere in gratia. Id ipsum asserit S. Bernardus *ibidem* allegatus, vt constat ex §. 71. **S. Bernard.**

383 Richardus à S. Laurent. citatus §. 77. *Gratiâ plena fuit, quia maiorem gratiam habere non potuit, nisi ipsa Diuinitati vniretur.* Quod de tempore Incarnationis intelligi debet, sicut & id verbum *Gratiâ plena.* Quod idem habes apud Almainum citatum §. 83. *Tunc tantam recepit perfectionem, quantam poterat recipere; aliàs mentitus esset Angelus dicendo, Aue gratiâ plena.* Sicut etiam Card. Vitalis citatus §. 85. **Rich. à S. Laur.** **Almain.** **Vital.**

384 Ægidius Romanus citatus §. 79. agens de tempore Annunciationis, & de ipsa salutandi formula, *Gratiâ plena*, ait, ita fuisse plenam, vt habuerit omnem gratiam sibi possibilem, & quòd tantam habuerit, *vt non sit capax maioris gratiæ recipiendæ.*

385 Similiter ex illis Patribus, qui omnem gratiam absolutè attribuunt B. Virgini, & relati manent §. 86. & 87. specialiter loquuntur de tempore Incarnationis S. Gregorius Neocæsareensis, S. Augustinus, S. Ildephonsus, S. Athanasius, & canticum Angelorum in reuelationibus Vener. Amadei. **S. Greg. Neocæs.** **S. August.** **S. Ildeph.** **S. Athan.** **Amad.**

386 P. Alphonsus Salmeron citatus §. 89. asserit, fuisse plenam gratiâ, *quantum pura crea-* **Salmeron.**

Chrysost. à Visit. *tura poterat esse capax.* Item Chrysostomus à Visitat. citatus §.91. qui dictum S. Bonauenturæ, & S.Bernardi affert, & explicat in sensu à nobis probato, scilicet eo ipso, quòd sit Mater Dei, eam non potuisse esse sanctiorem: quod iste author probat de singulis virtutibus B. Virginis; scilicet eas neutiquam crescere potuisse. Quod certum est, intelligi à tempore, quo fuit Mater Dei. Quod idem notandum est in P. Benedicto Fernandez, P. Ioanne Ossorio, P. Ludouico de Ponte, & Ludouico Granatensi citatis à §.92. qui solo titulo Matris Dei constituunt in B. Virgine totam sanctitatem possibilem. Idem indicat Ormachea citatus §.95. qui id verbum *Gratiâ plena* ait, significare totam gratiam possibilem. Quo eodem modo loquuntur Adamus Brouuerus citatus §.96. & Angelus de Pace §.99. & clariùs vtroque Alexius à Salo citatus §.97. præcipuè illis verbis: *Cùm verò Angelus Virginem saluere iussit, vocans eam gratiâ plenam, de plenitudine longè alia, & vberiore, singulari, atque excellentiore loquebatur, adeòque ampla, vt in quamcunque meram creaturam aliam à Maria cadere non possit.*

Fernand. Ossorio. Ponte. Granat. Ormach. Brouuer. Pace. Salo.

387 *Rich. de S. Vict. Pelbart.* Richardus de S.Victore, quem refert, & sequitur Pelbartus *lib.1. Stellar.part.6.art.3. cap.3.* totam gratiæ plenitudinem correspondentem toti tempori vitæ eius expressè asserit datam B.Virgini in Conceptione Filij. Ecce verba Pelbarti loquentis de gaudiis, quæ habuit B.Virgo tempore Incarnationis: *Secundùm*

dum gaudium habuit, quòd in gratia, eius plenitudine fuit confirmata, & consummata, vt dicit Hieronymus in serm. de Assumptione. Vnde S. Hier.
& Richardus de S. Victore in expositione, Ecce Virgo concipiet, lib. 3. dicit, quòd tantam plenitudinem gratiæ Deus animæ B. Mariæ indidit, quantam eam pro futuro mereri conspexit. A quo sententiam, & verba mutuatus est Bernardinus de Busto 5. *part. Marial. serm. 3. in* Busto.
Introduct. agens de tempore Annunciationis: *Tantam enim tunc plenitudinem gratiæ Deus animæ B. Mariæ dedit, quantam eam pro futuro promereri debere conspexit.* Idem assertum habetur etiam in Reuelationibus Amadei, *Rapt.* 5. §. *Tunc ego.* Vbi agens S. Gabriel de festo Annunciationis, ait: *Est igitur festum augmentationis supremæ totius gratiæ in anima Mariæ.*

Cùm ergo tot authores tam apertè asserant, à tempore Incarnationis habuisse totam 388
gratiæ plenitudinem, non est, cur scrupulum alicui moueat hæc assertio, præcipuè cùm tot rationibus fulciatur articulo sequenti proponendis.

ARTIC. III.

Rationibus probatur idem assertum.

Omnes ferè rationes, quæ probant, B. 389
Virginem habuisse totam gratiam possibilem in pura creatura, probant etiam, habuisse

buisse illam à tempore Incarnationis. Quod, illas breuissimè instaurando, patebit. Prima quidem, quam proposuimus *c.* 8. est, gratiam sanctificantem commensurari debere cum dignitate Matris: quæ cùm sit summa possibilis in pura creatura, eodem modo gratia debet esse summa possibilis. Tum sic: sed à tempore Incarnationis habuit dignitatem Matris: ergo à tempore Incarnationis habuit summam gratiam possibilem in pura creatura.

390 Secunda ratio, quam *cap.* 9. proposuimus, est, quæ præcipuè fundatur in verbis Angeli, *Gratiâ plena.* Nam, vt ibidem probauimus ex Patribus, non poterat esse plena, nisi haberet totam gratiam possibilem. Sed à tempote Incarnationis fuit gratiâ plena, iuxta verbum Angeli: ergo à tempore Incarnationis habuit totam gratiam possibilem, quæ confirmatur ex iis duobus locis *cap.* 10. propositis, *Inuenisti gratiam apud Deum.* Et *Fecit mihi magna, qui potens est.* Quæ ad tempus Incarnationis referuntur.

391 Tertia *ex cap.* 11. idem conuincit. Ex eo enim, quòd Deus dederit B. Virgini summam dignitatem possibilem Maternitatis, sequitur, quòd Deus eam prosequatur summa dilectione, quæ possibilis est erga puram creaturam: ex hac autem dilectione infertur, quòd ei gratiam contulerit summam possibilem. Sed à tempore Incarnationis dedit Deus eam dignitatem summam possibilem: ergo à tempore Incarnationis ea summa dilectio sortita est effectum suum.

Quarta ratio *ex cap.* 12. Quantò maior est 392
approximatio ad Deum, tantò maior est gratia habitualis: sed B. Virgo ex dignitate Matris habet approximationem ad Deum summam possibilem: ergo gratiam habitualem summam possibilem. Sed à tempore conceptionis Verbi habet eam summam approximationem ad Deum: ergo ab eo tempore
summam habet gratiam possibilem. 393

Quinta ratio *ex cap.* 13. Maius est esse Matrem Dei, quam habere summam gratiam possibilem: ergo cui conceditur, quod est plus, concedi debet, quod est minus. Sed id plus conceditur B. Virgini à tempore Incarnationis: ergo ab eodem tempore concedetur ei, quod est minus, scilicet tota gratia possibilis in pura creatura.

Sexta ratio *ex c.* 14. sic instauratur. Summa 394
adoratio possibilis erga puram creaturam debetur B. Virgini titulo Maternitatis: sed non deberetur, si non esset ei debita tota gratia possibilis; ergo istam habuit. Sed ea adoratio debebatur à tempore Incarnationis, vtpotè debita titulo Maternitatis: ergo ab eo tempore habuit summam gratiam possibilem.

Septima *ex cap.* 15. Ad summam formam 395
prærequirebatur summa dispositio: sed gratia B. Virgini collata, fuit dispositio ad Maternitatem Dei, & Incarnationem in eius vtero efficiendam, quæ erat summa forma, aut quasi forma: ergo ad illam prærequiritur summa gratia. Sed dispositio fuit tempore Incarnationis: ergo ex tunc fuit summa possibilis.

bilis. Octaua, & nona ratio non videntur eò directè tendere, vt probent summam gratiam possibilem in B. Virgine, sed solùm infinitam: atque adeò non probant, quòd à tempore Incarnationis habuerit B. Virgo totam gratiam possibilem.

396 Decima, quæ proponitur *cap.* 18. id ipsum conuincit, scilicet desumpta ex eo, quòd habet Christus Dominus debitum honorandi Parentem suam summo honore, cuius est capax pura creatura; præcipuè cùm nulla est ratio in ordine diuinæ prouidentiæ, differendi in aliud tempus eum honorem: ergo à tempore Incarnationis eam honorauit summo honore possibili gratiæ habitualis.

397 Vndecima *ex cap.* 19. apertè instauratur. Etenim ex obligatione, quâ Deipara tenetur diligere Deum maiori dilectione, quàm quælibet creatura possibilis, & summâ dilectione, quæ in pura creatura possibilis est, colligitur, habuisse summam charitatem possibilem: sed hæc obligatio oritur ex Maternitate Dei, atque adeò incepit à tempore Incarnationis: ergò ab hoc tempore habuit summam charitatem possibilem.

398 Habet etiam hîc locum duodecima ratio proposita *cap.* 20. quæ concedit B. Virgini quidquid eius dignitatem decet, & Deus potest facere: cùm ergo dignitas extiterit à tempore Incarnationis, ibidem etiam militat ratio.

399 *Obiectio.* Dices. Hæc omnia videntur probare, etiam habuisse visionem beatam à tempore Incarnationis.

tionis. Nam suprà *cap. 23. art. 3.* has omnes rationes instaurauimus ad probandam in B. Virgine beatitudinem simpliciter infinitam: hæ autem rationes omnes vrgent à tempore Incarnationis, vt in præsenti articulo perpendimus: ergo infertur, quòd à tempore Incarnationis habuerit hanc beatitudinem infinitam.

400 Hæc consequentia conceditur in assertis Salmanticensibus citatis P. Ioannis Barbiani, *assert.* 2. his verbis: *Vt primùm ab Angelo salutare iussa, & Mater Dei effecta est, incessanter Deum clarè vidisse, absolutè asserimus.* Ei tamen non assentior, sed neque eius impugnatio ad meum attinet institutum. *Barbian. An permanenter Deũ viderit à tempore Incarnationis?*

401 Respondetur ergo, rationis disparitatem desumendam esse ex diuerso modo, quo debetur gratia sanctificans, & beatitudo supernaturalis. Etenim gratia sanctificans simul atque debita est dignitati, seu merito supernaturali, in eodem instanti confertur: nam vbi iustus bonis operibus meruit vnum, vel plures gradus sanctificantis gratiæ, nunquam eorum collatio differtur in posterum. At verò beatitudo, cum respiciat statum diuersum à statu viatoris, illumque futurum, non confertur statim, ac debita est, sed in tempus suum reseruatur. Prædicta itaque argumenta probant, tam gratiam, quàm beatitudinem in intensione infinita debitas esse dignitati Matris; sed non æquè probant, vtramque statim conferandam, sed solam gratiam sanctificantem; *Responsio.*

quia

quia sola hæc confertur statim, atque intelligitur esse debita. Et ideò in argumentis instauratis pro beatitudine infinita, potiùs dixi, dignitati Matris esse debitum ius ad beatitudinem infinitam, quàm ipsam beatitudinem esse debitam; vt in hoc gratiam habitualem & beatitudinem discriminarem.

402 *An in primo instanti Conceptionis habuerit infinitā gratiam?* Tandem noto, quemdam bonæ notæ Theologum ex iis, qui hoc opusculum legerunt, eiusque asserta approbarunt, dixisse, sibi probabile videri, quod B. Virgo in instanti Conceptionis immaculatæ, in quo anima eius corpori infusa fuit, habuerit gratiam simpliciter infinitam; & reliquo tempore vsque ad Incarnationem reliquum gratiæ per infinitates partim meruerit, partim postea merendum obtinuerit. Quod ex eo maximè fit verisimile, quòd in eo instanti concedant nobiles Theologi, alia accepisse singularissima priuilegia, immunitatem à peccato originali, & eius debito, accelerationem vsus rationis in gradu præstantissimo, & visionem beatificam. In hoc autem dubio quid tenendum sit, viris doctis decidendum relinquo.

ARTIC.

ARTICVLVS IV.

Aliud assertum ante solutionem argumenti proponitur.

PSuarez *tom.2. in 3. part. disp.* 18. *sect.*1. §. *Sed dici*, negat, B. Viginem potuisse accipere totum augmentum gratiæ, tanquam præmium meritorum futurorum: quin potiùs hanc anticipatam remunerationem existimat sine fundamento confictam, & præter ordinariam legem meriti & præmij. Cuius fundamenta examinabimus articulo sequenti. 403 *Suarez.*

Dicendum tamen est, B. Virginem in instanti Incarnationis Verbi accepisse anticipatè totam gratiam, quam postea meritura erat. Ita in terminis expressit Richardus de S. Victor. allegatus suprà *art.* 2. huius capitis: *Tantam plenitudinem gratiæ Deus animæ B. Mariæ indidit, quantam eam pro futuro mereri, conspexit.* Quem sequuntur Pelbartus, & Busto *ibid.* allegati. 404 *Tempore Incarnationis accepit totam gratiam quã postea erat meritura.* *Ric. de S. V. Pelbartus. Busto.*

Probatur assertum. Multa præmia accepit de facto B. Virgo priùs tempore, quàm merita existerent: ergo non repugnat, quòd accipiat tanquam præmium augmentum gratiæ anticipatum ad merita. Antecedens probatur primò. Nam Beata Virgo per actus meritorios, præcipuè Incarnationis tempore elitos meruit, peccata primorum parentum de- 405 *Ex meritis B. Virginis pecca-*

 lēti,

ea primorũ parentum deleta. leri, & vniuersum mundum instaurari, vtique merito congrui: ergo ea præmia fuerunt priùs tempore, quàm merita.

406 *Tertull.* Antecedens traditur à multis Patribus, & Doctoribus. Ita Tertullianus *lib. de carne Christi*, his verbis: *Crediderat Eua serpenti; credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit.*

407 *S.August.* S. Augustinus *serm.* 18. *de Sanctis*, qui est primus de Annunciat. *Illa percussit, ista sanauit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur.* Igitur per obedientiam sanauit B. Virgo vulnus inobedientiæ Euæ. Et in expositione super *Magnificat*, ad ea verba. *Quia respexit humilitatem*, &c. ait: *Bene ergo Maria solam in humilitatem, Dominum respexisse testatur, quia Diuinitatis propitiationem, quam humana natura in primis parentibus pr superbiam perdidit, in Maria per humilitatem recuperauit.*

408 *S. Beda.* S. Beda in Lucam (vt citat Angelus de de Pace super *Missus est, cap.* 35. ad ea verba, *Ecce ancilla Domini*) ait: *Decebat, vt sicut per superbiam primæ nostræ parentis mors in mundum intrauit; ita denuò per humilitatem Mariæ, vitæ introitus panderetur.*

409. *S. Damasc.* S. Ioannes Damascenus *orat.* 1. *de Natiu.* ait: *Quamvis enim prima Eua à Dei mandato recesserit, ac per eam aduersus primum parentem serpenti operam nauantem, mors aditum inuenerit; at Maria tamen Diuinæ voluntati obsequuta deceptorem serpentem in fraudem induxit, ac Mundo immortalitatem inuexit.* Ecce

quomo

quomodo mundo gratiam immortalitatis intexerit, scilicet *Diuinæ voluntati obsequuta.*

S. Irenæus *lib. 3. aduersus hæreses, cap. 33.* 410
ait: *Sic autem & Euæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ: quod enim alligauit virgo Eua per incredulitatem, hoc Virgo Maria soluit per fidem.* Et *lib. 5. cap. 19.* sic: *Illa* (Eua) *per Angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum; sic hæc* (scilicet Maria) *suasa est obedire Deo, vti virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata; & quemadmodum adstrictum est genus humanum per virginem, soluatur per Virginem, æquâ lance disposita virginalis inobedientiæ per Virginalem obedientiam.* Quæ testimonia tàm aperta sunt, vt non egeant interpretatione, aut commentario. Et solùm adnoto, Mariam Euæ aduocatam esse non potuisse, nisi impetrando illi, aut merendo gratiæ dona.

Eadem claritate loquutus est Richardus de 411
S. Laurent. *lib. 4. de laudib. Virg. initio*, verbis ab Augustino mutuatis: *Benè ergo Maria, Dominum solam humilitatem in se respexisse, testatur: quia Diuinitatis propitiationem, quam humana natura in primis parentibus per superbiam perdidit, in Maria per humilitatem recuperauit.* *Rich. à S. Laur.*

S. Bernardinus *tom. 3. serm. 1. de B. Maria, art. 1. cap. 1.* huic actui humilitatis B. Virginis attribuit totius mundi reconciliationem, his verbis: *Meritò ergo subdit, Ecce enim ex hoc, idest, ex humilitate, quâ placui Altissimo, beatam me dicent omnes generationes, scilicet* 412 *S. Bern.*

cœlestium, terrestrium, & infernorum: quia omnibus istis Mariæ humilitas attulit vtilitatem, Angelis restaurationem, hominibus reconciliationem, captiuis inferni liberationem. Si ergo meritum humilitatis B. Virginis omnibus hominibus, omnibúsque generationibus attulit vtilitatem; patet, allatam fuisse etiam hominibus tempore antecedentibus; cùm nullus excludatur ab ea generali propositione.

413 *Pisanus.* Bartholomæus Pisanus *lib. 2. de laudib. Virg. fruct. 6. Sicut ergo Euæ inobedientia principium nostræ fuit damnationis; sic obedientia Mariæ exordium, causa, & origo est nostræ salutis.* Quod nequit intelligi sine influxu meritorum B. Virginis in salutem omnium hominum.

414 *Patribus veteris testamenti multa meruit B. Virgo.* *S. Anton.* Secundò hanc anticipatam meritorum B. Virginis solutionem apertè testantur illi Patres, qui dicunt, B. Virginem meruisse dona gratiæ, ingentiaque beneficia Patribus Veteris Testamenti. Ita S. Antoninus 4. *part. tit.* 15. *cap.* 14. §. 3. asserit: *Cùm etiam ipsa dicatur ab Ecclesia Mater gratiæ, & Mater misericordiæ, & gratia perducat ad gloriam, & causa sit eius; sequitur, quòd omnium, qui sunt in gloria, Sanctorum, etiam qui eam præcesserunt tempore, in gloria consequenda mater est.* Esse autem matrem eorum Sanctorum, non potest esse, aut intelligi aliter, nisi quatenus est causa in genere moris. Quo autem modo potest esse causa, nisi per modum meriti?

415 *S. Anselm.* Idem docet S. Anselmus *lib. de excell. Virg.*

cap. 8.

cap.8. vbi ait: *Antiquam malectionis pœnam, quam in peccato primorum ſuorum filiorum, merito excepiſſe* (ſcilicet genus humanum) *ſciebat, iam per tanta benedictionis tua abundantiam ſeſe euadere, indubitanter credebat.* Quid autem eſt per abundantiam benedictionis Virginis euadere maledictionem antiquam, niſi quòd ab illa liberauerit omnes homines ex abundantia meritorum ſuorum? 416

S.Epiph. Expreſsè aſſeruit S.Epiphaaius *ſerm.de laudib.Virg.fine,* his verbis: *Lapſam erexit Euam, & Adamum de paradiſo eiectum in cœlum miſit; quæ paradiſum clauſum aperuit.* 417

S.Bernard. Benzon. Idem docet S.Bernardinus, quem refert, & ſequitur Rutilius Benzonius *lib.1.in Magnif. c.18.§.Nec ſolùm,* vbi ſic ait: *Propter Deiparam Deus liberauit Noë à diluuio, Abraham à Caldæis, Iſaac à paterno gladio, Iacob à fratrum perſecutione, Hebræos ab Ægypto, Moyſem à Pharaone, Dauidem à Golia, & Saul, ac denique tres pueros de manu Nabuchodonoſor. Omnia denique beneficia, gratiæ, ac fauores Patribus veteris Teſtamenti collati, intuitu, & contemplatione ipſius Deiparæ elargiti fuere, vt optimè, ac piè D. Bernardinus in quodam ſermone apud Pelbartum lib.11.p.2.* 418

S.Ildeph. S.Ildephonſus *lib.de perpetua Virginitate B.Mariæ,* ait: *Per quam non ſolùm maledictio matris Euæ ſoluta eſt, verùm & benedictio omnibus condonata.* Meritis ergo B.Virginis antiqua Euæ maledictio ſoluta eſt, & dona gratiæ omnibus etiam primæ parenti, donata ſunt. Et ideò à S.Bernardo *ſerm.1.ſuper Miſſus eſt,* ap- S.Bernard.

S. Ephrem. Theophan. pellatur, *Reparatrix parentum nostrorum*. A S. Ephrem. *orat. ad Virgin.* dicitur, *Resurrectio Adam*. A Theophane, *hymno de Annunciat.* asseritur, *Adæ reuocatio*.

419 Ex meritis B. Virginis mundus nō fuit annihilatus ob primū peccatum. S. Bernard. Tertiò testes sunt huius asserti illi Doctores, qui dicunt, ex meritis B. Virginis non fuisse mundum annihilatum propter peccata primorum parentum. Ita S. Bernardin. *tom. 1. serm. 61, art. 1. c. 2. Maria namque sola per multa millia annorum, antequam nasceretur, primò, & principaliter Adam, & Euam, & totam eius posteritatem præseruauit in esse. Constat nempe, quòd ex propria transgressione Adam, & Eua, non solùm mortis, sed etiam annihilationis exterminiū meruerunt, & Diuina vltio, quæ personarū acceptionem ignorat, sicut nec culpā Angelicam, sic nec etiam humanam dimisisset impunè. Sed propter præcipuam reuerentiam, & singularissimam dilectionem, quā habebat ad Virginem præseruauit; quia eam ab æterno super omnes creaturas Deo non vniendas, quæ creandæ erant, superexcessiuè dilexit: propterea præseruati sunt protoplasti, nec, vt merebantur, in nihilū sunt redacti.* Quod ibidem fusè prosequitur. Item reliquos Patriarchas meritis B. Virginis fuisse preseruatos, & addit: *Omnes liberationes, & indulgentias factas in veteri testamento, non ambigo, Deū fecisse solùm propter huius benedictæ puellæ reuerentiā, & amorē.* Quæ postrema verba rationem meriti B. Virgini manifestè indicant.

420 Pelbart. Pelbartus secutus est B. Bernardinum *lib. 11. Stell. part. 2. cap. 2.* his verbis: *Beatissima Virgo Maria totum mundū à principio creationis humani generis vsque ad finem durationis*

suæ præseruauit, & præseruat in esse. Quod latè prosequitur eodem ferè tenore verborum ac S. Beruardinus. Quo eodem modo idem asserit Bernardinus de Busto 1. *part. Marial. serm. 2. part. 1.* & idem tenet Benzonius suprà citatus. *Busto. Benzon.*

421 Quartò confirmant idem assertum Doctores, qui dicunt, per actum compassionis, dum adfuit cruci, meruisse omnibus redemptionem Ita Richardus de S.Laurent. *lib. 3. tit. Duodecim priuilegia. prærogat.* 10. ita asserens: *Quod ergo mundo attulit Filius passione, hoc & Mater mundo attulit conuersatione, reos & peccatores reconcilians compassione.* *Per actum compassionis meruit omnibus hominibus redemptionē. Rich. à S. Laur.*

422 Dionysius Richelius *libro 2. de laudibus Virginis, art. 23.* ait: *Insuper amantissima Dei Virgo Christifera dici potest mundi saluatrix propter eminentiam, virtuositatem, & meritum suæ compassionis, quâ patienti Filio fidelissimè ac acerbissimè condolendo, excellenter promeruit, vt per ipsam, hoc est, per preces eius ac merita virtus ac meritum passionis Christi communicetur hominibus.* Quòd deinde latè prosequitur. *Richelius.*

423 Albertus Magnus *cap. 201. super Missus est* (vt refert Pelbartus *in Stellar. lib. 3. parte 2. art. 1.*) ait: *Vt sicut totus mundus obligatur Deo per suam passionem, ita obligaretur Dominæ omnium per compassionem.* Et idem Pelbart. *lib. 11. part. 1. cap. 9.* citans etiam Albertum, ait: *Hic priuilegium soli attribuitur Mariæ, quòd ipsa est adiutrix redemptionis humanæ.* Et rationem reddens inter alia, ait. *Albertus. Pelbartus.*

Tum quia ipsa sola cum Christo pro nobis patiente compassa est; & sibi soli communicatio passionis donata est. Scilicet singulari modo.

424 *Busto.* Bernardinus de Busto 4. *part. Marial. serm.* 11.*part.* 3. id ipsum asserit: *Fuit etiam particeps passionis pro genere humano, quando omnibus ministris, & discipulis fugientibus, sola sub cruce perstitit, & vulnera, quæ Filius corpore, ipsa corde suscepit.* Quod idem continetur in reuelationibus S.Brigittæ. *S.Birgitt.*

425 Qui omnes Doctores cùm generaliter loquantur de redemptione mundi, de vniuerso mundo, de omnibus hominibus, manifestè patet, dicta eorum extendi ad homines tempore antecedentes; præcipuè cùm ab his Doctoribus adeò æquiparetur Christo Domino. Nam etsi in modo meriti, & redemptionis latissimum sit discrimen inter Filium, & Matrem, in extensione tamen meritorum ad omnes omnino homines rectè æquiparantur.

426 *Ex meritis Virginis mundus redemptus. S. August.* Quintò eadem anticipata meritorum solutio asseritur ab illis Doctoribus, qui verbis generalibus asseruerunt, ex meritis B. Virginis mundum fuisse redemptum, mundo salutem allatam. Ita S. Augustinus *serm. de Assumpt. Vnusquisque enim Sanctorum specialibus quibusque locis variorum auxiliorum suffragia contulit; hæc verò beatissima singularis virgo, & Mater vniuerso mundo in peccatum lapso generaliter salutem inuexit.* Quæ verba sunt in Milleloquio August. *tom.* 3. *Biblioth. Virg.*

S,

S.Anſelmus *de excell. virg. cap.9.* ait: *Incomparabili ſublimitate hoc promeruit, vt reparatrix perditi orbis benigniſſima fieret.* Idem expreſsè aſſerunt S.Gregorius Neocæſareenſis *ſerm.2.de Annunciat.* S.Bernardus *ſerm.de Signo Magno*, S. Bonauentura *in Specul. lect.5.* S. Petrus Damianus *ſerm.44. in Natiuit.B.Mariæ,* S.Petrus Chryſologus *ſerm.* 140. S.Laurentius Iuſtinianus *ſerm. de Annunciat.* S.Germanus *ſerm.de Cœna Domini,* & quamplures alij. 427 *S. Anſelm. S. Greg. Neoc. S. Bernard. S. Bonau. S. Pet. Da. S. Pet. Ch. S. Laur. Iuſt. S. German.*

Huc pertinent, qui B.Virginem appellant Redemptricem mundi, aut ſimili alio nomine. Ita S.Ephrem. *orat. ad Virginem*, eam vocat *Redemptricem humani generis.* Item *conciliatricem vniuerſi orbis.* S. Ildephonſus *ſerm.1.*de Aſſumpt. *Reparatricem perditi orbis.* S.Bernardus *ſerm.2.*ſuper Miſſus eſt, *Reparatricem vitæ.* Andreas Hieroſolymitanus *orat. de Annunciat.* eam dicit *Renouatricem vniuerſi.* S. Damaſcenus *orat.1.* de Natiuit. *Adminiſtram ſalutis vniuerſi.* Quibus ſimilia paſſim apud Sanctos Patres reperies. 428 *S. Ephrem. S. Ildeph. S. Bernard. And. Hieroſ. S. Damaſc.*

Sextò denique. Nam ſicut Chriſtus, iuxta probabilem ſententiam, meruit Angelis gratiam, & gloriam; ita etiam, quamvis inferiori genere meriti, B. Virgo meruit illis gratiam, & gloriam: ergo priùs tempore, quàm merita exiſterent, acceperunt remunerationem. Conſequentia patet, & antecedens traditur à S. Antonino 4. *part. tit.15. cap.14.* §.3. his verbis: *Item & Angeli cùm recipiant illuminationem, perfectionem, & beatifi-* 429 *B. Virgo meruit Angelis gratiam, & gloriam. S. Anton.*

catiorem à Iesu; nam ipse est, in quem desiderant Angeli prospicere, 1. Petr. cap. 1. & per ipsum omnia restaurantur in terra, & in cœlo: ergo, & Angeli recipiunt quoddam esse gloriæ Albertus. *à B. Virgine.* Quam sententiam eodem tenore verborum desumpsit ex Alberto *lib. de laudib. Virg. cap.* 184. Et deinde addit S. Antoninus verba suprà citata, §.404. *Omnium qui sunt in gloria, Sanctorum etiam qui eam præcesserunt tempore, in gloria consequenda Mater est.*

430 S. Lau. Iust. Indicatur a S. Laurentio Iustiniano *serm. de Assumpt. fine:* agens enim de beatis spiritibus, ait: *Nemo inuidebat illi, quoniam ab eius beneficiis nemo reperiebatur immunis.*

431 S. Bernar. Satis clarè significatur à S. Bernardo (apud Bustum 5. *part. Marial. serm.* 9. initio.) *In te enim Angeli lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam, meruerunt in æternum.* Meruit ergo Angelis lætitiam æternam. Quo nomine non intelligi solet lætitia accidentalis.

432 Pelbartus. Traditur clarissimè à Pelbarto *libro* 11. *Stellar. part.* 1. *cap.* 8. asserente: *Eam fecit matrem omnium beatorum cælestium, & Angelorum, quia omnes ab ea acceperunt esse gloriæ & beatitudinis cœlestis.* Item à Bartholomæo Pisano *lib. 6. de laudib. Virg. fruct.* 5. Pisanus. vbi agens de omnibus choris, & hierarchiis beatorum spirituum, ait: *Ipsi enim cœli ciues considerantes : : : fructum qui eis prouenit ex Maria, quo ad gratiæ largitionem, & gloriæ cum omnibus perceptionem, vt Diuinæ voluntati per omnia conformes, virtuosi, & grati,*

Mariam

Mariam Dei Matrem, & ipsorum Dominam laudibus efferunt.

433 Item à Richardo de S. Laurentio *lib. 4. de laudib. Virg. paulò post initium*, vbi ait: *In qua Angeli gloriam, iusti gratiam, peccatores veniam inueniunt in aeternum. Meritò in eam respiciunt oculi totius creaturae: quia in ea, & per eam, & de ea, benigna manus Omnipotentis, quidquid creauerat, recreauit.*

Rich. à S. Laur.

434 Ex quibus omnibus patet, speciale priuilegium esse B. Virginis, quòd anticipatâ solutione remuneretur Deus eius merita: vnde nouum videri non debet, quòd totum augmentum gratiae detur B. Virgini, tanquam praemium operum futurorum. Et vrgetur argumentum. Difficilius enim est, & rarius, quòd aliqua creatura mereatur aliis iustis, aut peccatoribus, quàm quòd sibi ipsi mereatur; consequenterque difficilius est, quòd recipiat pro retributione gratiam, & veniam aliorum, quàm gratiam propriam: sed B. Virgo accepit tanquam retributionem anticipatam, gratiam, & veniam aliorum: ergo à fortiori potuit accipere tanquam retributionem anticipatam augmentum propriae gratiae.

Priuilegiū est B. Virginis anticipata remuneratio meritorum.

435 Dices, meritum, quo B. Virgo meruit patribus veteris testamenti, fuisse meritum de congruo; illud verò, quo sibi gratiam habitualem merebatur, esse de condigno. In illo autem non esse inconueniens, quod data fuerit anticipata solutio: secus in merito condigno. Ita huic argumento respondebant aliquando viri docti. Ego tamen diuersitatem

vtriusque

vtriusque meriti video; rationis tamen disparitatem non video: quæ dum ostensa non fuerit, credam, vrgere argumentum.

436 Sed neque est, cur nobis opponat P. Suarez, id esse contra legem ordinariam meriti, & præmij. Fatemur enim id esse verum: agnoscimus namque in eo singulare priuilegium B. Virginis, ex regula, quam ab ipso sapientissimo viro didicimus *tom. 2. in 3. part. disp. 3. sect. 5.* ibi: *Mysteria gratiæ, qua Deus in Virgine operatus est, non esse ordinariis legibus metienda, sed Diuinâ Omnipotentiâ, suppositâ rei decentiâ, absque vlla Scripturarum contradictione, aut repugnantia.*

ARTIC. V.

Soluitur argumentum art. 1. propositum, & duplex instantia.

437 HInc facilè soluitur id argumentum, quod occasionem dedit prolixæ materiæ huius capitis. Concedo enim, quòd in instanti Incarnationis acceperit B. Virgo totam gratiam habitualem possibilem in pura creatura, tanquam dispositionem ad tantum mysterium. Ad id, quo impugnatur, respondeo, negando, quòd reliquo vitæ tempore non meruerit. Etenim per bona opera Incarnationem subsequentia merebatur B. Virgo illud ipsum augmentum gratiæ, quod iam ipsi colla

collatum fuerat, & anticipatè solutum: & insuper merebatur vlteriores, & vlteriores gradus beatitudinis.

Deinde si per possibile, vel impossibile non posset B. Virgo recipere totam gratiam possibilem tanquam præmium operum futurorum; & reipsa reciperet illam solummodò tanquam dispositionem ad Incarnationem; non inde infertur, quòd B. Virgo remaneret expers meriti, aut extra statum merendi, aut quòd non esset viatrix, vt contendit argumentum. Cuius ratio est, quia etsi bonis operibus non mereretur augmentum gratiæ, eò quòd antecedenter illud habebat; poterat tamen mereri augmentum gloriæ, quod nondum habebat. Neque enim meritum vnius est inseparabile à merito alterius præmij. Actus enim contritionis perfectæ, qui est vltima dispositio ad iustificationem, non meretur de condigno primam gratiam iustificantem, bene tamen gloriam, vt tenet communis Theologorum. 438

Sed contra præcipuam solutionem instat primò P. Suarez. Si B. Virgo ab instanti Incarnationis habuisset totum augmentum gratiæ, sequeretur, quòd omnia opera virtutis, quæ exerceret B. Virgo, procederent ex tota intensione gratiæ, & charitatis: sed vnum opus procedens ex tota intensione gratiæ, & charitatis mereretur totum augmentum gratiæ: ergo post primum opus virtutis subsequens Incarnationem, nihil gratiæ restat, quod mereri possit B. Virgo; consequenter- 439 *Prima instantia Suarij.*

que

que per opera subsequentia nihil merebitur. Maior patet: gratia enim, quantum est ex parte sui, non est otiosa, sed efficax ad operandum secundùm totam latitudinem suæ perfectionis; ex parte autem B. Virginis nullum erat impedimentum, nullus obex; atque adeò totum id operatura erat, quod ferebant vires gratiæ. Minor verò probatur. Nam per vnum actum charitatis intensum vt quatuor meretur homo totidem gradus habitûs, & gratiæ: ergo per actum habentem totam intensionem merebitur etiam totam intensionem habitûs, & gratiæ.

440 *Merita infinita Christi habent præmium finitum.* Ante primam solutionem præmitto primò, in Christo omnia eius merita, licet infinita, habere, iuxta communem sententiam, præmium dumtaxat finitum; atque adeò præmium non adæquari meritis eius infinitis. Idque, etiamsi loquamur de præmio, quod, iuxta probabilem sententiam, sibi meretur Christus Dominus; cùm eius gratiam, & gloriam asserant esse finitam. Immò etiam in vera sententia constituente in Christo Domino gratiam, & gloriam infinitam, non habet præmium meritis adæquatum: nam cùm merita dignificentur à dignitate, & sanctitate personæ; quidquid est præmij creati non adæquat eius meriti magnitudinem.

441 *Præmium de facto esse inferius meritis Virginis.* *Ripalda.* Præmitto secundò, sententiam esse Patris Ripalda *disp.79.de ente supernat.num.* 123.*&* 124. præmium, quo Deus de facto remunerat merita B. Virginis, inferius esse ipsis meritis: ex quo infert, illis superesse meritum ad merendum

rendum de condigno pro aliis. Nam tota ea diſputatione probat hic Author, Maternitatem Dei eſſe rationem iuſtificandi, conſequenterque dignificantem opera B. Virginis. Deinde nobiſcum cenſet, digni tatem Matris Dei infinitam eſſe; atque adeò ea merita taliter dignificari, vt nullo præmio finito exhauriri poſſint.

Præmitto tertiò, quodlibet infinitum, ſiue in numero, ſiue in intenſione, &c. eſſe infinities infinitum, ſiue continere infinitas infinitates. Quod eſſe euidens, oſtendit Philoſophia. Numerus enim infinitus graduum continet infinitos binarios, ternarios, centenarios, millenarios, & ſic in infinitum: ergo continet duo infinita, tria, centum, mille infinita, & ſic in infinitum. Conſequentia autem negari non poteſt: nam antecedens, & conſequens ſunt ſynonyma. 442 *Quodlibet infinitum eſt infinities infinitum.*

Hinc colligo, nihil eſſe abſurdi, ſi dicamus, præmium gratiæ habitualis correſpondens ſingulis operibus meritoriis B. Virginis, inferius eſſe ipſis meritis; ſiue merita ſingulorum operum ſuperare magnitudinem eius præmij, quod de facto Deus illis diſpenſat. Quod euidenter infertur ex primo, & ſecundo præmiſſo. Præmium enim, quod de facto Deus diſpenſat meritis Chriſti Domini eſt inferius celſiſſimis eius meritis. Et præmium, quod confert meritis B. Virginis, iuxta eam probabilem ſententiam, eſt inferius talibus meritis. Præcipuè cùm non ſit omnino certum id, quod P. Suarez ſupponit in ſua inſtantia, 443

quòd

quòd actus charitatis intensus vt quatuor superaddat quatuor gradus augmenti gratiæ, vt videri potest apud P. Ægidium de Conink 2. 2. *disp. 22. de charitate, dub.* 4. & P. Arriaga *tom. 2. in 1. 2. disp. 51. sect. 3.*

444 *Quomodo meritis Virginis correspondeat vt præmiū tota gratia?* Igitur dicendum est, totam gratiam possibilem collatam B. Virgini in instanti Incarnationis correspondere tanquam præmium omnibus collectiuè operibus meritoriis B. Virginis: singulis autem operibus singulas collectiones partiales graduum infinitorum. Demus itaque opera B. Virginis post Incarnationem fuisse mille, omnia quidem in summo intensionis gradu elicita, propter summum gradum gratiæ iustificantis, & habituum. Totum illud augmentum totius gratiæ possibilis distribuit Deus in mille infinitates graduum; cùm illud reuerâ contineat infinitos millenarios: vnde cuilibet operi meritorio B. Virginis post Incarnationem elicito correspondebit vna de illis mille infinitatibus graduum. In quo casu præmium gratiæ habitualis inferius est in intensione actibus meritoriis.

445 *Vnum opus Virginis meretur infinitā gratiam, non verò totā.* Iam verò ad instantiam suprà positam respondetur primò, concedendo, quòd opera B. Virginis processerint ex tota intensione gratiæ, & charitatis, & quòd consequenter haberent totam intensionem possibilem; nego tamen, quòd vnum opus meruerit totam intensionem possibilem gratiæ. Ad probationem verò omitto, quòd actus charitatis intensus vt quatuor mereatur, & superaddat

quatuor

quatuor gradus gratiæ : nego tamen, idem contingere debere, quando ea gratia peruenit ad infinitatem, & ad gradum summum possibilem: hæc enim excellentia tanta est, vt necesse sit exire à communibus legibus meriti, & præmij. Quòd autem ei operi non correspondeat tota gratia possibilis, non est defectu condignitatis in opere; sed potiùs quia superest condignitas in opere, ratione cuius superabundantiæ Deus dispensat aliter legem præmij, sicut dispensauit aliter in Christo Domino ratione sūmæ celsitudinis meritorū eius.

Dices. Ea pars intensionis gratiæ, quam meretur primum opus, est ante aliam partem gratiæ, quam meretur secundum opus, eo modo, quo primus gradus est ante secundum; & ista secunda pars est ante aliam, quam meretur tertium opus, & sic de reliquis: sed vna infinitas graduū nō est ante aliā, in infinito enim distinguntur plures infinitates, non ita vt vna infinitas sit ante aliam, sed ita vt resultet ex partibus interpolatis: ergo non potest primū opus mereri vnam infinitatem graduum, & secundum alteram. Quod magis vrget in gradibus heterogeneis, in quibus non possunt facere ordinem, nisi illi, qui sibi sunt immediati. 446 Obiectio.

Respondetur, si posito illo virtutis opere, producendi essent reipsa illi infiniti gradus, inconueniens esse, quòd non essent continuati, sed interpolati; præcipuè si essent heterogenei: at nullum inconueniens est, quòd ita interpolati destinentur à Deo tanquam præmium boni operis B. Virginis; neque facilè 447 Solutio.

probabitur, id esse impossibile: maximè cum natura infiniti postulet, ita fieri computationem, siue distributionem graduum.

448 *Suarez.* P. Suarez suprà citatus dixit, ideò in Christo cuilibet eius operi meritorio non correspondere diuersum præmium, sed idem omnino, quod correspondet reliquis, quia merita Christi Domini infinita sunt, & talia, vt vnum opus meritorium exhauriat totum præmium, quod meritis Christi potest correspondere: quare semel, & iterum, & sæpius idem omnino præmium multiplicatis operibus merebatur.

449 *Secunda solutio instātiæ. Tota gratia potest correspondere vt præmium singulis operibus B. Virginis.* Hinc potest responderi secundò ad instantiam, singula opera meritoria B. Virginis post Incarnationem facta, vtpotè eiusdem intensionis cum gratia habituali, meruisse totam gratiam habitualem anticipatè collatam; ita vt semel, & iterum, & sæpius idem augmentum gratiæ tanquam præmium correspondeat singulis operibus B. Virginis.

450 *Potest gratia esse intēsa cū habitibus remissis.* Ante tertiam responsionem suppono, iuxta probabilem sententiam, intensionem gratiæ habitualis non connecti necessariò cum intensione habituum, hosque posse esse remissos, cùm gratia magnam susceperit intensionem. Ita Authores illi, qui dicunt, habitus fidei, & spei non augeri per actus aliarum virtutum, & eorum merita, sed solum per actus proprios Fidei, & Spei. Vnde qui elicuerit paucos actus Spei, & multos aliarum virtutum; habebit gratiam valde intensam, & habitum Spei remissum. Ita opinantur P. *Vazquez. Aragon.* Vazquez 1.2.*disp.*220.*num.*56. Aragon 2.2. *quæst.*

quæst. 5. *art.* 4. P. Ludouicus de Torres 2. 2. *disp.* 45. *dub.* 1. *Torres.*

Negant item eandem connexionem intensioni gratiæ cum intensione habituum magis vniuersaliter, qui dicunt, non augeri habitus virtutum, nisi per actus intensiores habitibus; quamvis per omnes actus augeatur gratia habitualis. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 13. *art.* 1. *quæst.* 2. & *lib.* 2. *de Gratia*, *cap.* 17. Victoria *relectione de Augmento charitatis*, 1. *part. à num.* 4. iuxta quos Anthores habitus potest esse remissus, cùm gratia existit valde intensa. 451 *Sotus. Victoria.*

452 Iuxta quæ posset tertiò responderi ad instantiam, B. Virgini in instanti Incarnationis datam esse totam gratiam habitualem possibilem, tanquam dispositionem proportionatam ad Maternitatem Dei, propter rationes propositas *art.* 3. habitus verò datos fuisse infinitè intensos, non tamen cum omni intensione possibili; idque maximè in sententia de gradibus homogeneis. Ideo autem cum hac inæqualitate donatos esse, vt exactæ leges meriti, & præmij obseruarentur in operibus B. Virginis: sic enim actus meritorij fierent æquales in intensione, non gratiæ habituali, sed suis habitibus: conferente etiam Deo auxilia non excedentia intensionem habituum, vt ità mererentur partem gratiæ infinitam, & augerent habitum, addendo alios infinitos gradus, non tamen omnes possibiles; nisi solùm in vltimo vitæ articulo, in quo totum meritum complendum est. Quòd si cui magis *Tertia solutio instantiæ. Potuit dari tota intensio gratiæ sine tota intensione habituum.*

gis arriserit hæc tertia responsio, aliquid ei detrahendum erit de iis, quæ dicta manent *cap.* 23. *art.* 6. circa intensionem actuum B. Virginis.

453 *Secunda instantia.* Instat secundò P. Suarez. Si B. Virgini datum fuisset totum augmentum gratiæ ex meritis operum futurorum, principium meriti caderet sub meritum: sed principium meriti nequit cadere sub meritum: ergo non est datum B. Virgini totum augmentum gratiæ ex meritis operum futurorum. Probatur Minor. Gratia, quæ antecedit tempore merita, immò & quæ coëxistit cum illis, est principium illorum; quia gratia dignificat opera meritoria, quatenus dignificat idem subiectum operis; eo enim ipso, quod subiectum habeat tantam gratiam, opus euadit dignificatum ab illa: ergo si illud augmentum gratiæ est principium talis meriti, non potest cadere sub illud meritum; atque adeò neque esse præmium talis meriti.

454 Respondetur, negando Maiorem. Ad probationem dico, non semper gratiam coëxistentem operi meritorio dignificare illud ad merendum. Sic enim actus perfectæ contritionis elicitus à peccatore, illumque iustificans habet sibi coëxistentem gratiam in eodem instanti; & tamen non dignificatur à gratia habituali ad merendum illam: nam eo ipso quòd mereatur ille actus primam gratiam iustificantem, non potest esse prima gratia principium eius meriti. Item in sententia, quam dicit probabilem, quamque magni

ni facit P. Suarez *tom. 1. in 3. part. disp.* 40. *sect.* 2. & quam apud ipsum expresse defendunt Albertus Magnus *in* 3. *dist.* 18. *art.* 4. & 7. Guilielmus de Rubione *ibid. quæstion.* 1. *art.* 2. Bassolis *art.* 3. Mairon *quæst.* 1. Altissiodorensis 3. *part. summa, tract.* 1. *cap.* 7. Christus Dominus suis operibus meruit sibi totam gratiam habitualem, quam habuit; ita vt quam anticipatè habuit, per singulos actus subsequentes totam illam sibi meruit. In quo casu gratia habitualis non dignificabat opera Christi ad merendum illam, sed ea dignificabantur à gratia vnionis, & à sanctitate increata.

Suarez. Albertus. Rubion. Basso. is. Mairon. Altissi dor.

455 Similiter ergo dicundum est in præsenti, illam partem augmenti gratiæ, quæ correspondet tanquam præmium actui infinitè intenso, non dignificare illud opus. Quod nihil aliud est, nisi quòd Deus remunerator optimus ad remunerandum illum actum infinitè intensum, non attendit ad illos gradus gratiæ, quos confert vt præmium. Sicut cum remuneratur actum perfectæ contritionis, non attendit ad dignitatem primæ gratiæ iustificantis; eo quòd istam collaturus est in præmium talis actus. Sicut etiam cùm remuneratur remuneratione gratiæ habitualis opera Christi Domini, non attendit in tali remuneratione ad dignitatem prouenientem operi ex gratia habituali; quia hæc de facto est præmium talium operum.

456 Quòd si dicas, ideò primam gratiam non dignificare actum contritionis ad ipsam promeren

Obiectio.

merendam, quia prima gratia subsequitur ad actum contritionis; at verò in nostro casu augmentum gratiæ antecedit ad opera meritoria. Solutio. Respondetur, etiam illam partem augmenti gratiæ, quæ datur in præmium huius determinati operis, licèt antecedat tempore, non tamen antecedere prioritate naturæ, sed potiùs subsequi ad istud opus; quia effectus est posterior sua causa; istud autem opus, quod meretur illam partem augmenti gratiæ, est causa meritoria eius partis augmenti, & illa pars augmenti est effectus istius operis. Et ratio præcipua est, quam tradidimus, scilicet quia non potest attendi, vt accipiat quis remunerationem, illud ipsum, quod datur in præmium.

CAP. XXVI.

Sexta difficultas orta ex condigna satisfactione pro peccato lethali.

457 SExta obiectio est. Si gratia habitualis B. Virginis esset infinita, infinitusque consequenter valor operum eius, sequeretur, quod posset offerre Deo satisfactionem condignam pro peccato lethali: atqui hoc absurdum est, & alienum à communi mente sanctorum Patrum, & Theologorum, qui puræ creaturæ negant eam condignitatem: ergo

gratia

gratia habitualis B. Virginis non est infinita. Probatur Maior. Nam vel peccatum lethale est finitum in ratione offensæ, vel infinitum: quocumque modo id adstruatur, id infertur: sequitur ergo, quòd posset offerre eam condignam satisfactionem. Probatur Minor. Et quidem si dicatur, peccatum in ratione offensæ esse finitum; infero: ergo valor operum B. Virginis superat grauitatem offensæ. Probatur consequentia: nam cùm offensa sit finita, valor operum oblatus est infinitus. Quòd si dicas, peccatum in ratione offensæ esse infinitum, id etiam infertur: quia etiam valor operum B. Virginis infinitus est, atque adeò poterit tantùm placere Deo, quantum displicet peccatum lethale.

Ante responsionem nota, hanc obiectio- 458
nem non militare potiùs contra nostram sententiam, quàm contra communem, quæ possibilem admittit in subiecto infinitam gratiam habitualem. In qua de possibili militat idem prorsus argumentum de satisfactione condigna. Quod non minus pugnat cum sententia sanctorum Patrum, & Theologorum, qui prorsus impossibilem asserunt puram creaturam, quæ possit ad æqualitatem satisfacere pro peccato lethali, quantumvis summis gratiæ viribus munita fuerit. Ideoque P. Vasquez *tom. 1. in 3. part. disp. 4. cap. 5.* asseruit, etiamsi gratiam habitualem infinitam haberet pura creatura, non posse hanc offerre Deo eam satisfactionem condignam.

Respondetur ergo, inter Patres & Theo- 459
logos

Requiritur æqualitas personæ offensæ, & personæ satisfacientis.

logos conuenire, ad condignam satisfactionem pro peccato lethali requiri, quòd dignitas personæ satisfacientis sit æqualis dignitati personæ offensæ. In eo, inquam, conueniunt, quamvis maximè differant in reddenda illius ratione. Cum ergo dignitas B. Virginis, quantumvis infinitâ gratiâ habituali prædita sit, distet infinitè à dignitate personæ offensæ, inde manet impossibilis ea condigna satisfactio.

460 Vnde ad argumentum respondetur negando Maiorem. Et ad probationem concessa Maiori negãdo Minorem. Ad cuius probationẽ dic, siue peccatum lethale finitum sit, siue infinitũ in ratione offensæ, non posse pro eo B. Virginem condignè satisfacere. Ad id, quod additur, valorem operum B. Virginis superare grauitatem offensæ, distinguenda est propositio. Nam, vt bene notauit P. Suarez *tom. 1. in 3. part. disput.* 4. *sect.* 7. aliud est bonitas operis, eiusque valor meritorius, & aliud valor operis ad satisfaciendum. Atque ita bonitas moralis operum B. Virginis superat grauitatem offensæ lethalis; non verò valor operis satisfactorius. Cuius ratio est, quia valor operis satisfactorius desumitur ex proportione, quæ datur inter personam satisfacientem, & personam offensam; valor verò meriti solùm ex obiecto, & aliis circumstantiis condistinctis ab ea proportione. Vnde ad id, quod postremò additur in argumento, dicendum est, tantùm, immò & ampliùs placuisse Deo opera B. Virginis in ordine ad meritum,

quantùm

quantùm displicuit peccatum lethale ; non verò in ordine ad satisfaciendum , propter dicta. Circa quod consulendi sunt P. Suárez citatus , PP. Ioannes de Lugo , Petrus Hurtado , & Vvadingus *in tractatibus de Incarnatione*, & Ripalda *tom.* 2. *de Ente supernaturali, disp.* 97. *Suarez, Lugo. Hurtado. Vvading. Ripalda.*

CAPVT XXVII.

Oppositiones cuiusdam Recentioris soluuntur.

P Thomas Hurtado vir Doctus de Ordine Clericorum Minorum , consultus à me per epistolam, multa obiecit aduersus doctrinam propositam , quibus in præsenti capite placuit satisfacere.

Obiicit primò : Neque in Christo Domino admissam fuisse à Scholasticis gratiam habitualem infinitæ intensionis , præterquàm à Ioanne Maior , cuius opinionem suscitauit P. Meratius. Cæteri autem Scriptores , tam Societatis , quàm Dominicanæ, & Franciscanæ , & cuiusvis alterius Regularis Familiæ planè docent , etiamsi possibilis sit infinita gratia , eam non esse in Christo admittendam. Cuius rationem tradidit P. Vasquez 3. *part. disput.* 44. *numer.* 9. his verbis : *Etiamsi talis gratia esset possibilis, nullam esse rationem , quæ nos cogeret, asserere in Christo esse infinitam. Nam quamuis sanctificatio Christi per Deitatem ipsam sit infini-* 461 *Prima obiectio.*

ta , & quodam debito decentiæ esset homini Christo debita gratia habitualis ; nihilominus cùm indecens non esset , dari ei solam finitam gratiam ad finitas operationes secundùm intensionem , nulla esset ratio , quæ cogeret asserere , datam fuisse gratiam infinitam : siquidem actiones Christi finitæ secundùm intensionem , infinitæ fuerunt secundùm meriti dignitatem ad redimendum totum genus humanum : neque ad maiorem dignitatem meriti quidquam referebat maior intensio operationis. Cum autem neque ad rationem meriti infiniti, neque ad operationes finitæ intensionis requiratur gratia infinitè intensa , dicendum est , eam non dari in Christo Domino.

Dicere autem , operationes Christi fuisse infinitæ intensionis, est improbabile, & contra omnes ferè scriptores : nullus enim præter Maiorem id asseruit. Et multò minùs probabile est in Deipara , cùm nullus id asseruerit. Et si aliquis reperitur dixisse,amorem, vel alium actum B. Virginis fuisse infinitum, vel immensum, impropriè , & per exaggerationem locutus fuisse credendus est.

Pietas autem non cogit , vt B. Virgini adscribamus ea , quæ Philosophiæ , & Theologiæ non consonant ; neque enim falsis laudibus honoratur Mater veritatis. Nam , vt loquitur S. Bernardus : *Honor Reginæ iudicium diligit : Virgo Regia falso non eget honore , veris cumulata honorum titulis , & infulis dignitatum.* Ita obiectionem instruit prædictus Theologus.

S. Bernardus.

Respon

Respondetur, illum egregiè decipi, dum credit, solos eos duos Doctores admittere in Christo Domino gratiam simpliciter infinitam. Et quidem licet Authores alij deessent, mihi abundè sufficeret Authoritas P. Francisci Suarez, qui *tom. 1. in 3. part. disp. 22. sect. 1.* asserit, multisque confirmat, si possibilis sit gratia infinita, necessariò humanitati Christi Domini concedendam esse. *Censeo*, inquit, *tantâ probabilitate colligi, quantâ colligimus, ex vi vnionis Christo fuisse debitam perfectissimam gratiam, & gloriam à principio conceptionis, & alia similia dona.* Cuius rei confirmationem ibi fusè prosequitur. Et §. *atque hinc*, rationem à priori vrget: *Nam radix huius gratiæ in Christo est infinita: ergo ex se postulat infinitam gratiam, si illa est possibilis: ergo ex vi debiti, & connaturalitatis, tota illa danda fuit, & data censenda est, si possibilis existimatur.* Lege Doctoris eximij citatum locum, & comperies, eius authoritatem, & fundamenta pro multis Authoribus esse ad sententiæ probabilitatem. 462 Suarez.

Suarium sequitur Card. Ioannes de Lugo *de Incarnat. disp. 16. sect. 6. num. 106.* qui cùm soluisset supradictum argumentum Patris Vasquez, sic probat suam sententiam de gratia finita Christi Domini: *Vnicum ergo fundamentum huius communis sententiæ desumi debet ex repugnantia intensionis, & multitudinis infinitæ, quam ex communi sententia suppono diuinitus repugnare, vt dixi in Physica. Ceterùm si illud non repugnaret, probabilius videtur.* 463 Lugo.

tur, quòd de facto daretur in Christo, *vt latè probat Suarez vbi suprà, quem alij Recentiores sequuntur.* Nec te moueat, quòd dixerit communem eam sententiam, quasi opposita sit singularis. Est enim communis contra communem, vt ex P. Petro Hurtado, & aliis infrà constabit.

464 **Cabrera.** Eadem habet Petrus de Cabrera *in 3.p.q.7.art.11.§.10.n.92.* vbi ait: *Itaque tanta est gratiæ Christi dignitas, & excellentia, vt nisi ex parte effectus repugnaret, & ipsa secundùm intensionem esset infinita, & effectus formalis illius esset infinitus.*

465 **Tanner.** Similia habet P. Adamus Taunerus *tom.4.disp.1.quæst.5.dub.1.num.19. Reuerà si possibilis esset* (gratia infinita) *non opertebat, Christo fuisse denegatam; quandoquidem aliàs nullus gradus finitæ perfectionis potest esse adæquatus dignitati humanitatis Christi.* Et P. **Amicus.** Amicus *de Incarn. disp.16.sect.1.n.15.* in hæc verba: *Debita esset animæ Christi gratia actu infinita, si possibilis foret.*

Ragusa. Item P. Iosephus de Ragusa *in 3.part. disput.76.§.Iam verò ipsi*, vbi ait: *Fundamentum huius dignitatis est infinitum, vnde gratia limitationem habere non potest; quare si non habet aliunde limitationem, restat, debere esse infinitam.*

466 Hi sunt Authores qui cùm opinentur, non esse possibilem infinitam gratiæ intensionem, docent, si possibilis sit, in Christo Domino constituendam necessariò esse. Quos primo loco proposui, vt constet, quàm falsa sit ea

propo

propositio, quam author obiectionis assumit, quòd scilicet cæteri omnes scriptores docent, etiamsi possibilis sit gratia infinita, in Christo D. non esse admittendam.

467 *Hurtado.* Ex illis verò, qui possibilem censent gratiam infinitam, illam in Christo D. absolutè adstruunt. P. Petrus Hurtado *disp.* 48. *de Incarnat.* §. 15. vbi addit: *Apud Recentes hæc opinio est valde communis.* Et P. Arriaga *disp.* 32. *de Incarn. sect.* 3. *&* 4. in cuius numero 19. ait: *Quia, inquam, illud* (infinitum) *admisi possibile, dico in præsenti, longè esse probabilius, de facto in Christo, & gratiam, & alios habitus, & visionem beatam esse infinitè intensam.* *Arriaga.*

468 *Ripalda.* P. Ripalda *tom. 2. de Ente supernat. disput.* 129. *sect.* 4. *num.* 50. vt probabile defendit, inquiens: *Si per gradus similes fiat* (intensio) *posse admitti in Christo intensionem virtutum actu infinitam, quia ea possibilis est.* Et P. Fasolus 1. *part. quæst.* 7. *art.* 3. *dub.* 12. *num.* 59. vbi ait: *Gratia Christi infinita intensiuè, posse dari maiorem, capiendo impropriè maius,* &c. *Fasolus.*

469 *Maldonado.* P. Maldonado dilucidè eandem sententiam professus est *in cap. 2. Luc. vers.* 40. ad ea verba: *Puer autem crescebat,* vt citaui suprà §. 13. vbi ait: *Ergo nec diuinâ, nec beatâ, nec infusâ scientiâ proficere potuisse, quia infinita erat, solâ profecisse experientiâ.* Quod postea etiam adstruit circa gratiam, quam quoad hoc parem facit cum scientia. Idem expressit Franciscus de Victoria *relect. de Augmento charit.* *Victoria.*

charit. vt citaui §.14. illis verbis: *In quo secundùm communiorem opinionem fuit infinita gratia.*

470 *Bernal.* Eandem ſententiam latè,& ex profeſſo defendit P. Auguſtinus Bernal *de Incarn. diſp.* 30.*ſect.* 3.§.2. *num.* 27. vbi ſic ſtatuit concluſionem. *Opinor, habitualem Chriſti gratiam fuiſſe actu, ſeu categorematicè infinitam. Tradidit olim hanc ſententiam Ioannes Maior in 3. diſt.* 13. *quæſt.* 3. *Almainus quæſt.* 1, *& eodem teſte tota communiter ſchola Pariſienſis.* Et P. *Albertinus.* Albertinus refert hanc tanquam probabilem *tom.* 2. *diſput.* 4. *de prædic. quant. quæſt.* 6. *num.* 12.

471 *Maior. Almain. Gregor.* Ex veteribus autem præter Maiorem Almainus citatus *in hac diſput.* §.2. aſſerens, eſſe communem antiquorum & Recentiorum, vt etiam proximè notabat P.Bernal. Quod idem docet Gregorius Ariminenſis citatus eo §.2.

472 Cum ergo ſexdecim Authores enumerati, præter Maiorem, & Meratium, tam expreſsè defendant gratiam infinitam in Chriſto D. mirandum eſt, quòd Author eius obiectionis hanc partem tam deſtitutam Authoribus, & tam parum probabilem exiſtimet; maximè cùm PP. Petrus Hurtado, & Auguſtinus Bernal, Almainus, & Victoria dicant, hanc eſſe communem ſententiam. Quibus Authoribus addendi ſunt omnes illi, qui dicunt, fuiſſe in Chriſto Domino omnem intenſionem gratiæ *Magiſt. Scotus. Durand.* poſſibilem: cum ex dictis *cap.* 2. conſtet, eam eſſe debere infinitam. Hi ſunt Magiſter, Scotus, & Durandus citati *cap.* 1. Quam etiam infini

infinitudinem gratiæ Christi D. propugnant S. Thom. & Caiet. vt probaui *eo capite* 1. S.Thom. Caiet.

473 Ad argumentum P. Vasquez respondet P. Suar. *tom.* 1. *in* 3. *part. disp.* 22. *sect.* 1. §. *Sed hic*, his verbis: *Hoc autem non colligimus ex aliquo fine extrinseco, vt Redemptionis, vel alio simili; nam ad hunc finem non erat necessaria infinita gratia, vt argumentum factum probat, & de facto omnes fatemur. Neque hoc quidquam ad præsens refert; nam multas perfectiones habuit Christus, quæ per se necessariæ non erant ad finem redemptionis, vt gloriam à principio conceptionis suæ, scientiam infusam, & similes, quas habuisse dicimus propter se, & propter earum perfectionem, tanquam proprietates decentes talem personam. Ad hunc ergo modum dicimus, habiturum esse infinitam gratiam habitualem, & infinitum lumen gloriæ, & infinitam visionem, & dilectionem Dei, si hæc essent possibilia.* Et ad id, quod addit P. Vasquez, infinitam intensionem dilectionis, & aliorum actuum Christi non esse necessariam ad infinitum meritum, similiter respondendum est, illam non dari in Deo, quia ad eum finem necessaria sit; sed quia ita decet hominem Deum. Suar.

474 Et nota, quòd author huius obiectionis non bene vtitur argumento P. Vasquez, nam iste, & ille procedunt in statu quæstionis valdè diuerso. Enim verò P. Vasquez respondet ad quæstionem, *An detur in Christo gratia intensionis infinita*; & author obiectionis respon

respondet ad quæstionem, *An probabile sit, dari in Christo gratiam intensionis infinitæ*; de qua solùm probabilitate consultus fuerat. Argumentum autem Patris Vasquez probabiliter procedit, dum contendit, non dari actu in Christo gratiam infinitam: malè verò procederet, si contenderet, oppositam partem non esse probabilem; cùm id argumentum sit merè topicum, vt constat ex responsione P. Suarij. Euidentius enim argumentum requiritur ad negandam probabilitatem opinionis, quàm ad talem opinionem negandam. Etenim præmissæ merè probabiles eliciunt conclusionem dumtaxat probabilem: atque adeò propositionem illi contradictoriè oppositam relinquunt probabilem; & consequenter vt hæc propositio conuincatur non esse probabilis, aliæ præmissæ requiruntur euidentes.

475 Ad id, quod additur in obiectione, non esse probabile, quòd actus in Christo habuerint infinitam intensionem, eo quod nullus Author, præter Maiorem, id asseruerit; respondeo, id esse omninò falsum. Nam id expressè asserit P. Suarez suprà citatus, maximè iis verbis, *Infinitam visionem, & dilectionem Dei, si hæc essent possibilia*. Petrus de Cabrera suprà citatus *art.* 11. §. 10. *num.* 101. Item P. Petrus Hurtado *disp.* 48. *de Incarn.* §. 16. vbi propositam conclusionem sic probat: *Vnicum fundamentum est, Gratia infinitè intensa est possibilis, item habitus, & eorum actus: sed si possibilis est, est de facto in Christo: ergo.* P. Arriaga vbi suprà

Suar. *Cabrera.* *Hurt.* *Arriaga.*

ſuprà, id concedit expreſsè de viſione beata, & conſequenter de amore beatifico. Item P. Ripalda *ibid.* citatus concedit Chriſto infinitam intenſionem virtutum: quod non ſolum de habitibus, ſed & de actibus intelligendum eſt; cùm habitus in Chriſto operarentur ſecundùm totum ſuum poſſe. Ibidem etiam P. Maldonado concedit ſcientiam beatam, & infuſam infinitè intenſam: quod ob ſimilem rationem de actibus quoque intelligendum eſt. Item P. Meratius *tract. de Incarn. diſp.* 23. *ſect.* 4. *num.* 7. expreſſit infinitam intenſionem in actibus Chriſti D. viſionis, amoris beatifici, & charitatis ſupernaturalis. Quod etiam concedit P. Bernal ſuprà citatus. Videant ergo viri docti, an hi omnes Authores ſufficiant ad probabilitatem opinionis.

Ripalda. *Maldon.* *Merat.* *Bernal.*

476 Quod verò aſſeritur, nullum eſſe Scriptorem, qui allegari poſſit pro infinitudine intenſionis actuum Deiparæ, reſpondeo, quamplurimos eſſe, ex quorum verbis id colligitur: quos citaui *cap.* 23. *art.* 2. & 6. Et quidem ſi eſſet vnus, vel alter, quia ita loquutus eſſet, poſſet explicari, per exaggerationem fuiſſe loquutum; ſed cùm tot ſint, non eſt credibile, omnes hyperbolicè loqui. Et præſertim qui dicunt, viſionem, & amorem beatificum Deiparæ eſſe ſummum poſſibilem in pura creatura, cum ſit tam conſtans ſenſus ſcriptorum, non poteſt exaggerationi attribui. Inde autem quàm rectè deducatur infinitudo, ex dictis ſatis liquet.

477 Ad textum, qui affertur ex D. Bernardo; respondeo primò, priùs probandum esse, nostram sententiam esse falsam, & tunc assentiar, in illam conuenire eum textum, quòd Mater veritatis non eget falsis laudibus. Cum autem id non probet obiector, frustrà illo vtitur.

478 Respondeo secundò, eum textum non esse D. Bernardi, sed impostoris illius Nicolai, de quo conqueritur D. Bernardus *epist.* 298. *ad Eugenium Papam*, quòd adulterato sigillo eius, multas epistolas scripsit sub nomine, & sigillo Bernardi, vt multis probat P. Petrus de Ojeda *in Apolog. pro Immaculata Conceptione, cap.* 14. Neque enim Bernardus talia scriberet contra Immaculatam Conceptionem, qui aliis in locis pro ea militauit.

479 Addo insuper tertiò, si defensoribus Immaculatæ Conceptionis hoc textu exprobratur, quòd velint falsis laudibus honorare Reginam veris cumulatam honorum titulis, non miror, quòd meæ sententiæ id etiam exprobretur; quin potius gaudeo, quòd sperem, vnam, eandemque causam fore infinitæ gratiæ Deiparæ, eiusque Immaculatæ Conceptionis; meamque sententiam simili consensu amplectendam esse, sicut simili telo impugnatur.

480 *Secunda obiectio.* Obiicit secundò. Si B. Virgo à tempore Incarnationis habuit gratiam infinitam, sequitur, quòd ab eodem tempore fuerit simul viatrix

trix, & comprehendens, ſicut Chriſtus. Quod ſic probatur primò, quia ſicut Chriſtus non indigebat mereri ſibi, niſi gloriam corporis; nobis autem meruit gratiam, & gloriam: ita B. Virgo cùm ab eo tempore habuerit totam gratiam, non indigebat ſibi mereri illam; & ſicut non indigebat ſibi mereri gratiam, ita nec gloriam. Secundò, quia ſicut hoc exigebat vnio hypoſtatica, ita etiam exigebat dignitas Matris, cùm ſit etiam infinita. Tertiò, quia potuit illi dari gloria vt corona ante meritum, vt aſſeritur de gratia habituali.

Reſpondetur ex dictis à §. 400. licèt aliqui admiſerint, B. Virginem ab eo tempore habuiſſe viſionem beatam; id tamen à nobis negari, eo quòd non rectè infertur, viſionem ſtatim conferendam, ſicut infertur de gratia, propter rationem ibi aſſignatam. Ad primam probationem dico, B. Virginem indiguiſſe mereri ſibi gratiam, & gloriam, eo quod decreuerit Deus, etiam B. Virgini non conferre gratiam, & gloriam, niſi ex merito.

Ad ſecundam probationem dico, malè ſumi paritatem ab infinitate vnionis hypoſtaticæ ad infinitatem Maternitatis; cùm inter vnam, & alteram infinitatem interuallum interſit infinities infinitum. Ad tertiam probationem reſpondeo potuiſſe Deum conferre B. Virgini gloriam ante merita; ſed non infertur, ita factum eſſe propter dicta à §. 401. 481

Obiicit tertiò. Si Diuina Omnipotentia 482

Tertia obiectio. secundùm se considerata est regula, quâ metienda sunt dona gratiæ, quæ Christo, & B. Virgini dantur; ita vt bona sit hæc consequentia, Deus potest hoc facere, & Christus, & B. Virgo recipere: ergo ita factum est; innumera inde inferuntur absurda, quæ sine temeritate concedi non possunt. Primum, quòd nec Christus, nec B. Virgo habuerint excrementa, neque vnguium incrementa, neque capillorum, nec quod B. Virgo menstrua passa fuerit, & alia similia, quæ à sacro fidei Tribunali prohibita sunt. Secundum, quod non indiguerint vesci, nec dormire, nec alia opera nutritiuæ potentiæ exercere. Tertium infertur, quòd existant de facto homines numero infiniti. Probatur sequela ex dictis. Nam ex eo, quòd sit possibilis infinita gratia, illa concedenda est Christo D. & B. Virgini: sed sunt possibiles infiniti homines, ad quos extendatur meritum passionis Christi: ergo illi infiniti de facto existunt. Quartum, quòd tam Christus, quàm B. Virgo videant essentiam Diuinam per visionem increatam. Nam cùm id sit possibile, saltem per miraculum, de facto Christo D. & B. Virgini concedendum est. Item quia cùm meritum B. Virginis sit infinitum ex infinita gratia habituali, visio increata erit præmium proportionatum tali merito.

483 Respondetur, totum robur huius obiectionis eneruari sola repetitione conclusionis propositæ *cap.* 20. his verbis: *Quando non*

non repugnat Sacræ Scripturæ, neque principiis fidei, totum illud in ordine gratiæ concedendum est B. Virgini, quod Deus potest ei tribuere, & ipsa potest recipere; quodque eius dignitatem decet. Hæc est regula, quam nos assignamus, non verò illa, quam dimidiatam proponit author obiectionis. Quare negandum est, inferri ea duo prima absurda, quæ proponit: quia dignitatem Deiparæ non decet carere excrementis, & incrementis vnguium, reliquisque ibi propositis.

Et nota, hoc argumentum laborare vitio 484
contra dialecticam: quod clariùs patebit, si illud ad breues terminos redigamus. *Omnia dona gratiæ, quæ sunt possibilia, sunt in B. Virgine: sed carentia excrementorum est possibilis: ergo carentia excrementorum est in B. Virgine.* Habet enim hic syllogismus quatuor terminos: eo quod *dona gratiæ possibilia*, quod est medium in syllogismo, non repetitur bis in præmissis, vt repeti debebat. Itaque ex eo, quod omnia dona gratiæ, quæ sunt possibilia in pura creatura, concedenda sint B. Virgini, malè infert, quòd carentia excrementorum sit illi concedenda. Quis enim dixit, carentiam excrementorum esse donum gratiæ? Quis dixit, carere incrementis vnguium, & capillorum, esse inter dona supernaturalia computandum?

Et hinc respondetur ad tertium absurdum, 485
neque illud inferri. Nam quòd sint plures, vel pauciores homines, finiti, vel infiniti,

non est donum gratiæ & ideò ex eorum possibilitate non infertur, quod in extensionem redemptionis Christi debeant actu existere.

486 Ad quartum absurdum dico primò, impossibile omnino esse, quòd intellectus creatus videat per visionem increatam: neque enim ego id asserui, sed duntaxat ex mente aliorum retuli. Secundò, dato quod vera sit ea sententia de possibili, & per miraculum, non infertur, quòd B. Virgo illam habeat. Nam ex dictis §. 316. ab ea generali regula excipitur, quidquid diuinum, & increatum est; imò id expressè excluditur in ea regula, dum exprimit *dona gratiæ*; quo nomine communiter intelliguntur dona creata. Et ratio est: quia nihil diuinum deberi potest dignitati Matris Dei, aut gratiæ infinitè intensæ, aut cuilibet alteri dignitati creatæ: & consequenter non potest esse præmium proportionatum merito puræ creaturæ.

487 *Quarta obiectio.* Obiicit quartò, quòd hæc sententia cogit nos ad aliqua asserenda in re grauissima sine authore classico, consequenterque sine probabilitate. Primum est, quòd gratia habitualis, lumen gloriæ, & virtutes sint entitates modales. Quod falsum est, Primò; nam quis vnquam dixit, modum esse principium agendi? Secundò, quia *cap. Maiores, de Baptismo*, & in Trident. *sess. 6. cap. 7.* gratia, & virtutes dicuntur infundi in Baptismo: quis autem dixit, quod modi infunduntur in Baptismo?

Secundum, quod eadem gratia habitualis, quæ

quæ eſt, & fuit in omnibus iuſtis, eadem ſit in B. Virgine. Quod etſi conceſſerit Mæratius in Chriſto D. id male conceſſum eſt, dum conſtituit magnum miraculum abſque neceſſitate. Nam ad hoc defendendum, neceſſe eſt dicere, quod aliqui gradus gratiæ, qui ſunt in Chriſto, & B. Virgine, reproducantur in creaturis, quæ poſt ipſos extitere, & quod omnes gradus gratiæ, qui fuerunt in Angelis, & hominibus ante Chriſtum, & Matrem exiſtentibus reproducantur in Chriſto, & B. Virgine; quod abſurdum eſt, & incredibile. 488
Additque obiector, hunc eſſe morſum aſpidis immedicabilem, vtpotè inſolubilem.

Reſpondetur negando antecedens, quod hæc ſententia de infinitate gratiæ Deiparæ cogat nos ad ea duo aſſerenda: tum quia illa non diximus ex propria ſententia, ſed ex mente aliorum Authorum, vt conſtat à §. 359. Tum quia licèt illa falſa ſint, incolumis manet noſtra ſententia, quæ integrè ſatisfacit illi argumento per tertiam, & propriam reſponſionem propoſitam §. 363. deſumptam ex connexione, quam habet gratia ſanctificans Chriſti D. & B. Virginis cum vnione hypoſtatica, & dignitate Matris Dei, tanquam paſſio cum propria radice. Ecce qualiter morſus aſpidis noſtram ſententiam non attingit. 489

Sed omitto, ea duo dicta à nobis eſſe ex propria ſententia; & veram nobis eſſe ſententiam Vincentij, & Patris Arriaga, quod attinet ad modum. Ad primam impugnationem Granado. S.Thom. Caiet. Toler. Medina.

Granado. S. Thom. Caiet. Tolet. Meding. nem dico, P. Granado, & apud ipsum, S. Thomam, Caietanum, Toletum, & Medinam citatos §. 320. asserere, vnionem hypostaticam, quæ modus est, esse principium physicum, vnde physica, & reali actione procedunt gratia sanctificans, lumen gloriæ, & reliqui habitus supernaturales. Ecce qui dicunt, modum esse principium agendi.

490 Ad secundam, quis negauit, modos infundi in baptismo? Nam gratia, & habitus infunduntur, non diuisi ab anima, sed vniti: ergo vniones gratiæ, & habituum, quæ quidem sunt modi, infunduntur in baptismo. Vt ergo infundantur in Baptismo, nihil prodest, nec nocet, quòd gratia, quæ infunditur, sit modus, vel qualitas absoluta.

491 Ad secundum, quod proponit vt absurdum ex P. Meratio, quod multi gradus gratiæ, qui sunt in Christo, existant in cæteris iustis post ipsum existentibus; & multi gradus, qui fuerunt in iustis ante ipsum existentibus, reproducti fuerint in Christo; admittit expressè P. Meratius citatus: neque aliter impugnatur ab authore obiectionis, nisi per admirationem, & inclamationem absurditatis. Sola autem admiratio, & inclamatio eiusmodi, leuis morsus est, indignus canicula, nedum aspide. Præcipuè cum reproductio sit actio entitatiuè naturalis, & solùm supernaturalis quoad modum, quatenus est contra communes leges vniuersi; causæque naturales habeant virtutem reproducendi, si Deus offerat

rat concursum generalem, vt docent P. Hurt. *disp.* 2. *Phys.* §. 38. P. Ouiedo *controu.* 12. *Phys. punct.* 5. & valde probabilem affirmat P. Suarez *disp.* 5. *Metaph. sect.* 3. *n.* 7. Et nota, falsum esse, quod dicitur in obiectione, aliquos gradus gratiæ, qui sunt in Christo, reproduci in iustis post ipsum existentibus: quia nihil reproducitur, nisi quod destructum est. Vnde id solum est produci per multiplicem actionem adæquatam. Et idem est de illis gradibus gratiæ iustorum, qui nunquam ceciderunt de statu gratiæ ante Christum; qui gradus cùm non sint destructi, neque reproducti in Christo fuerunt. *Hurt.* *Ouiedo.* *Suarez.*

Obiicit quintò. Si haberet B. Virgo visionem infinitè intensam, videret in Deo omnia possibilia: hoc est absurdum, & à nemine concessum intellectui creato: ergo non habet visionem infinitè intensam. Probatur sequela; si enim non videt omnia possibilia, non habebit visionem summam possibilem. Quod sic probat euidenter, vt ipse ait. Quælibet creatura, & quælibet collectio creaturarum potest à pura creatura videri: sed omnes visiones creaturarum, quæ sparsim reperiuntur in intellectibus creatis etiam possibilibus, omnes simul reperiuntur in intellectu B. Virginis: ergo in intellectu B. Virginis reperitur visio omnium possibilium. Probatur Minor. Omnes gradus gratiæ reperti in omnibus iustis, etiam possibilibus, reperiuntur in B. Virgine: ergo similiter omnes visiones eorum. 492 *Quinta obiectio.*

493 *Vasquez. Bonau. Scotus. Gabr. Almain. Maior. Marsil. Ocham. Aliac.* Responderi posset primò cum P. Vasquez *tom. 1. in 3. part. disp. 50.* qui pro se affert S. Bonauenturam, Scotum, Gabrielem, Almainum, Maiorem, Marsilium, Ochanum, & Aliacensem, qui affirmant, nullas creaturas videri in Deo ex vi visionis beatæ.

494 *Herize. Gothfred. Vassol. Durand. Albert.* Responderi posset secundò cum P. Herize *in 1. part. disp. 51. num. 21.* posse intellectum Beati videre omnia possibilia in Deo. Quod idem asserunt apud Herize Gothfredus, Bassolis, Durandus, & Albertus. Vnde non esset mirum, quod iuxta hanc sententiam B. Virgini concederetur visio omnium possibilium in Deo. Et quidem in intellectu creato Christi D. de facto id admittit P. Herize citatus *num.* 29.

495 Stando verò in communi sententia asserente, impossibilem esse visionem, quæ videat omnia possibilia in Deo; respondeo tertiò, negando Maiorem. Et ad probationem etiam negatur antecedens. Ad cuius probationem negandum est, omnes visiones omnium creaturarum reperiri in B. Virgine. Neque aliquid probat paritas desumpta ex gradibus gratiæ reliquorum iustorum repertis in B. Virgine. Primò quia, vt dixi, id non ex propria sententia, sed ex mente P. Meratij dictum est. Secundò, quia gradus gratiæ aliorum iustorum cum in ea sententia omnino homogenei sint, coniuncti in vno subiecto faciunt intensionem; at verò visiones diuersarum creaturarum non faciunt intensionem, quia

vt

vt faciant intensionem, circa idem omnino obiectum versari debent, vt omnes supponunt: non ergo copulari debent eæ visiones diuersorum obiectorum ad conflandam infinitam intensionem visionis Deiparæ. Tertiò, quia iuxta veram sententiam, quam sequitur S. Thomas, & eius discipuli, actus vitales sunt indistincti ab actionibus: vnde sicut actio vnius causæ efficientis non potest alteri causæ efficienti deseruire; ita neque actus vnius intellectus potest deseruire alteri intellectui. Quare longè diuersa ratio est de gradibus gratiæ, ac de visionibus.

Sextò, & vltimò obiicit illud ipsum argumentum, quod propositum est *cap. 26.* B. Virginem posse in nostra sententia satisfacere ad æqualitatem pro peccato lethali: & referens solutionem à nobis datam, sic instat. Ex eo quod in sententia probabili possibilis est de potentia absoluta gratia infinita, colligitur, eam in B. Virgine reperiri: atqui iuxta Scotum, & totam eius scholam probabile est, quòd de potentia absoluta potest tota natura satisfacere pro peccato lethali; ergo B. Virgini de facto concedendum est, quod pro peccato lethali satisfecerit. 496 *Sexta obiectio.*

Respondetur, Maiorem, & Minorem, & conclusionem falsas esse. Et in primis Maior est falsa, quia non ex eo colligimus, gratiam de facto infinitam esse in B. Virgine, quia probabile est, sed quia verum est, gratiam infinitam esse possibilem. Et quidem quamvis pro- 497

babi

babilis esset sententia, quæ proponitur in Minori, ego non teneor meam sententiam defendere in quauis sententia probabili, præcipuè si habeat principia opposita meis principiis, & cum quibus principia mea concordari nequeant. Itaque quoad satisfactionem pro peccato lethali defendam meam conclusionem in aliorum sententia probabili, si talis sententia valorem eius satisfactionis desumat penes æqualitatem personæ offensæ, & personæ satisfacientis.

498 Deinde eadem Maior est falsa, quia non ponit totam rationem completam, cur B. Virgini concedatur gratia infinita. Quam repetita iterum conclusione corrigo. *Quando non repugnat sacra Scriptura, neque principiis fidei totum illud in ordine gratiæ concedendum est B. Virgini, quod Deus potest tribuere, & ipsa potest recipere; quodque eius dignitatem decet.* Et vt benè concluderet syllogismus, assumptâ eâ propositione pro Maiori, sic debebat procedere: sed Deus potest tribuere creaturæ, quòd satisfaciat pro peccato lethali, & B. Virgo potest de potentia absoluta id recipere; & quod ita receperit de facto, non repugnat sacræ Scripturæ, & ita decet dignitatem Matris Dei: ergo de facto dedit illi Deus, quòd condignè satisfecerit pro peccato lethali. Quo pacto benè concludit syllogismus. Sed Minor ista falsa est in multis: tum quia B. Virgo cùm non habeat æqualitatem respectu personæ offensæ, non potest id recipere. Tum quia repugnat

repugnat iis Scripturæ locis, quibus vtuntur Patres, vt negent, potuisse puram creaturam satisfacere: quos locutos fuisse etiam de potentia absoluta, benè probat P. Vasquez *3. p. disp. 4. cap. 3.*

Deinde Minor etiam illius prioris syllogismi falsa est: Nam Scotus solùm admittit satisfactionem, quæ extrinseco Dei fauore, & acceptatione talis sit, & quæ ex se non est sufficiens. Hæc autem satisfactio non est ex se condigna, & æqualis. Et ideò P. Vasquez proximè citatus allegat Scotum pro sententia, quæ asserit, neque de potentia Dei absoluta posse puram creaturam satisfacere pro peccato lethali. 499

CAP. XXVIII.

Duæ aliæ difficultates denuò nobis obiectæ.

MAgni Theologi Academiæ Vrsaonensis (qui postea nostram sententiam approbarunt) hæc duo contra illam obiecerunt, qua parte defendit collatam fuisse B. Virgini summam gratiam possibilem à tempore Incarnationis. Primũ est. In Clementina *Ad nostrum*, de hæreticis, refertur, & damnatur, inter alios Beguardorum, & Beguinarum errores, iste error: *Quòd homo in vita præsenti tantum* 500

tantum, & talem perfectionis gradum potest adquirere, quòd reddatur penitus impeccabilis; & ampliùs in gratia proficere non valebit: nam, vt dicunt, si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inueniri. Ergo con- tra definitionem Clementinæ est ea sententia, quæ B. Virgini talem gratiæ gradum attribuit tempore Incarnationis, vt ampliùs in gratia proficere non valuerit.

501 Respondetur primò, certum esse, quod Concilium damnat eam propositionem in illo sensu solùm, & cum ea intelligentia, qua assumitur ab hæreticis. Illi autem hæretici vt planum est, loquuntur de legibus communibus meriti, & præmij, de legibus communibus proficiendi in gratia, & perfectione; & ideò dicunt, quemlibet hominem posse peruenire ad eum summum gradum gratiæ. Hoc ergo est, quod damnat Concilium, non verò quòd ex specialissimo priuilegio id creaturæ possit competere; cùm hæretici de hoc pri-

502 uilegio non loquantur. Cui responsioni apertè suffragatur glossa *in eò cap. Ad nostrum, verbo Impeccabilis,* his verbis: *Si hoc intelligeretur de Dei potentia absoluta, catholicè dictum esset, per eam posse reddi quem impeccabilem. Et hoc priuilegium gloriosa Virgini Mariæ creditur datum esse diuinitus. Dicere autem, hominem hoc posse secundùm legem communem, qua Deus sanctis dona gratiæ suæ dispensat, hoc est hæreticum.*

Responderi etiam potest secundò, in nostra

ſtrâ ſententia, de ſumma gratia B. Virginis collata tempore Incarnationis, optimè verificari, quòd B. Virgo ſemper, etiam vſque ad obitum ſuum profecerit in gratia. Etenim hoc verbum *Proficere*, denotat augmentum meriti. Nam realis collatio gratiæ eſt præmium meritorum, ſiue collatio præmij; proficere autem non tam ſignificat præmium, aut collationem præmij, quàm viam ad præmium. Itaque ſicut B. Virgo ſemper fuit in ſtatu merendi, ſemperque augebat meritum, vt ſuprà diximus, ita verum eſt, quòd ſem- 503
per proficiebat in gratia.

Secundum, quod graues illi Theologi obiecerunt, eſt: Si tempore Incarnationis data fuiſſet B. Virgini ſumma gratia poſſibilis, ſequeretur, quòd cùm poſteà Euchariſtiam accipiebat, hæc nullam illi gratiam conferret; cùm tota ſupponatur iam collata: atqui abſurdum eſt, quòd Euchariſtia nullam conferat gratiam: ergo tempore Incarnationis data non fuit ſumma poſſibilis.

Reſpondebit aliquis, gratiam correſpon- 504
dentem Sacramento, datam fuiſſe B. Virgini intuitu Sacramenti poſteà recipiendi; & id ſufficere, vt Sacramentum dicatur cauſa moralis eius gratiæ: ſicut cùm datur gratia intuitu meriti futuri, illud meritum dicitur cauſa moralis illius gratiæ.

Sed inſtant, videri abſurdum aſſerere, quòd 505
Sacramentum non conferat actualiter gratiam dum recipitur, propter locutiones Sacræ deno

Scripturæ, & Sanctorum Patrum, quæ denotant, Sacramenta reipsa communicare gratiam, dum recipiuntur.

306 Respondetur (vt ad solidiorem doctrinam confugiamus) Eucharistiam B. Virgini actualiter communicasse suam gratiam sanctificantem, etiam causalitate physica, iuxta communem sententiam de physica efficientia Sacramentorum. Habebat itaque B. Virgo omnem gratiam sibi possibilem: cùm autem accipiebat Eucharistiæ Sacramentum, vera efficientia producebat gratiam sibi correspondentem, iam præexistentem in B. Virgine. Quod potuit fieri, iuxta diuersas sententias, vel per vnam actionem adæquatam, attemperante Deo concursum terminatum ad gratiam: vel per secundam actionem adæquatam, qua Sacramentum ita concurreret ad producendam gratiam, ac si nunquam antè gratia præextitisset. Vnde non est inconueniens, quòd præexisteret gratia ante Sacramenti receptionem, cùm per hoc nullo modo tollatur actualis efficientia Sacramenti; Sacramentum enim ita influeret in gratiam, vt dixi, ac si nunquam gratia præextitisset.

307 Et quidem etiam gratiam Sacramentis correspondentem præextitisse in B. Virgine (præter Doctores suprà allegatos *cap. 26.* qui asserunt, omnem suam gratiam habuisse à tempore Incarnationis) specialiter expressit, *Albert.* loquens de gratia Sacramentorum, Albertus Magnus *lib. de laudibus Virg.* Nam *cap. 68.* ait:

ait : *Similiter quæritur de Sacramento Altaris, vtrum Beatissima Virgo sub Sacramento illo corpus Dominicum receperit, similiter & gratiam, quæ per illud confertur Sacramentum.* Postea arguit pro vtraque parte, affirmante, & negante. Pro parte autem negante obiicit, hoc Sacramentum recipi propter augmentum charitatis, propter remissionem venialium, &c. & addit : *Sed propter nullum istorum debuit B. Virgo communicare : augmento enim charitatis non indiguit, quia plena charitate fuit.* Capite autem 72. resoluit, B. Virginem recepisse Eucharistiam, & alia Sacramenta. Et *cap.* 73. satisfaciens obiectioni suprà positæ, & referens effectus denuo aduenientes post sumptionem Eucharistiæ, hos solum refert : *A Sacramento Altaris recepit Dominicæ Passionis rememorationem, deuotionis actualis exercitationem, contra corporalem absentiam filij consolationem.* Non tamen ponit augmentum gratiæ, aut charitatis : vtpotè qui dixerat, augmento charitatis non indiguisse, quia plena charitate fuit.

Hæ sunt difficultates præcipuæ, quæ contra nostram sententiam militare possunt ; nam quæ possunt cuilibet occurrere, omnes exhaurire difficile ; soluere verò ex dictis facilè existimo. Et hæ sunt solutiones præcipuæ, quæ iis difficultatibus exhiberi possunt; aliæ enim excogitari poterunt, quia non est difficile inuentis addere : & non dubito, quin viri docti alias ingeniosiores, & commodiores inue- 567

nient,cùm hanc B.Virginis excellentiam propugnare cœperint. Solùm enim mihi animus fuit in hoc Opusculo indice monstrare thesaurum,vnde doctiores alij vberiores Theologiæ diuitias aperiant,in laudem sanctissimæ Deiparæ, cuius oraculo obsequimur, dum beatam eam dicimus omnes generationes.

INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc Tractatu continentur.

Prior numerus paginam, secundus marginales notas designat.

A

ACTUS.

1. ACTUS amoris beatifici B. Virginis est infinitè intensus, & summus possibilis in pura creatura. p. 177. n. 182.

2. Item actus amoris viæ. p. 253. num. 332. & seq.

3. Actus virtutum B. Virginis fuerunt infinitè intensi. p. 252. n. 331. & seq.

4. Actus doloris, & compassionis B. Virginis de Passione Filij fuit infinitè intensus. ibidem, & seqq.

5. De actu amoris B. Virginis erga Deum est specialis ratio, ob quam sit intensionis summæ possibilis. p. 256. n. 337.

6. De actu humilitatis est etiam specialis ratio, propter quam sit summus possibilis. ibidem & seq.

Y 2 7. Per

7. Per actum compassionis meruit B. Virgo omnibus hominibus remissionem. p.295.n.421.

ADORATIO.

1. Maiori adoratione colimus B. Virginem titulo Matris Dei, quàm titulo gratiæ habitualis. pag.56.n.96.

2. Adoratio hyperduliæ exhibetur B. Virgini titulo Maternitatis, duliæ verò titulo gratiæ habitualis. ibid.& p.161.n.159.& seq.

3. Summa adoratio possibilis infra latriam B. Virgini debetur. Et hæc est Hyperdulia. p.160. num.158. & seq. Et inde arguitur gratia infinita,& summa possibilis, & infinita beatitudo. p.238.n.307.

4. Si existerent omnes creaturæ possibiles, deberent adorationem Matri Dei. p.163.n.163.

5. Adoratio quid sit. p.164.n.164.

6. Omnes creaturæ adorationem debent B. Virgini titulo dominij supernaturalis. ibidem

7. Adoratio Cruci debita propter solam relationem contactûs physici, inferior est Hyperduliâ B.Virgini debitâ. pag.166.n.167.

8. Adoratio Hyperduliæ includit in se latriam, quæ est ex contactu physico. p.168. n. 169.

9. Adoratio, qua Crux adoratur ob solum contactum,impropriè,& reductitiè est latria. ibid.

10. Adoratio latriæ,qua adoratur Crux, superior est adoratione duliæ. p.169.n.170.

11. Adoratio Hyperduliæ pertinet ad virtutem Religionis. p.176.n.171.

AMOR.

INDEX

AMOR.

Vide *Actus*, num. 1. 2. & 5.

ANGELVS.

Vide *Meritum*, num. 10.
Vide *Infinitum*, num. 8.

B

BEATITVDO.

Vide *Visio beatifica.*
Vide *Actus*, num. 1.

C

CALCVLATIO.

In calculatione graduum infinitorum non semper arguitur infinitum simpliciter intensiuum, sed solùm quando seruantur certæ conditiones. p. 39. & 42. n. 73. 78. & seq.
Vide *Infinitum*, num. 7.

CAVSA.

1. Eo nobilior est causa, quo perfectior est effectus. p. 34. n. 63.
2. Causa efficiens participat infinitatem ab effectu infinito. p. 42. n. 78.

CHRISTVS.

1. Christi opera licèt sint infinita in esse meriti;

tamen in esse entis sunt finita. pag. 41. numero 77.

2. Christi Incarnatio per generationem paternam omnino impossibilis. p. 66. n. 117.

3. Ex eo, quòd Christus est principium vniuersale gratiæ, colligitur habere gratiam habitualem infinitam. p. 192. n. 210.

4. Christus etiam vt Deus tenetur debito naturali honorandi Parentem suam summo honore quo potest. p. 200. n. 234. & inde colligitur in B. Virgine gratia infinita, & summa possibilis in pura creatura. ibid. & seq. Item infinita, & summa beatitudo. pag. 239. n. 309.

5. Visio intellectûs creati Christi est incomparabiliter excellentior visione B. Virginis, quantumvis infinita. p. 242. n. 313.

6. Intellectum creatum Christi videre diuinam essentiam per visionem increatam, aliqui censent, ibid. n. 314.

7. Christi gratia habitualis magno interuallo superat gratiam B. Virginis, etiam secundum esse physicum. p. 259. n. 343.

8. Christi gratia habitualis in ea intensione, in qua est propria Christi, connectitur essentialiter cum Vnione hypostatica. ibid.

9. Nulla pura creatura potest pertingere ad intensionem habitualis gratiæ Christi, etiam de potentia absoluta. p. 260. n. 344. & p. 331. numero 496.

10. Vt constet discrimen infinitæ gratiæ Christi, & B. Virginis, non est necesse, quod vtraque sit diuersæ speciei. p. 260. n. 345.

11. Quomodo verificetur, existere in Christo vt

in fonte omnia omnino dona gratiæ reperta in Iuſtis. p.264.n.352.& ſeq.

12. In Chriſto eſt eadem numero gratia, quæ eſt in reliquis Iuſtis, iuxta probabilem ſententiam; & ſimiliter in B.Virgine. p.268.n.358.& ſeq. & p. 326.n.487

13. Merita Chriſti, quamvis infinita, iuxta communem ſententiam habent ſolum præmium finitum. p.302.n.440

14. In quavis ſententia præmium non adæquat merita Chriſti. ibid.

Vide *Gratia ſanctificans*, n.1.& 10.
Vide *Infinitum*, n.8.
Vide *Mater Dei*, n.5.14.& 18.
Vide *Viſio beatifica*, n.4.5.& 7.

CONCEPTIO B. MARIÆ.

1. In Conceptione Immaculata accepiſſe B.Virginem infinitam gratiam veriſimile eſt. p.288. n.402.

2. In eadem accepit viſionem beatificam, ſecundùm aliquos. ibid.

3. Ratio ad probandam Immaculatam Conceptionem B. Virginis, ex Bartholomæo Piſano. p.12.n.18.

CONCVRSVS MATERNVS.

Concurſus maternus B. Virginis fuit actiuus. p.42.num.78.
Vide *Mater Dei*, n.28.

CRUX.

Vide *Adoratio*, n. 7. 9. & 10.

D

DISPOSITIO.

Inter dispositionem, & formam debet intercedere proportio. p. 172. n. 174
Vide *Gratia sanctificans*, n. 8.

DOLOR.

Vide *Actus*, n. 4. & 7.

DULIA.

Vide *Adoratio*, n. 2. & 10.

E

EFFECTUS.

Vide *Causa*, n. 1. & 2.

F

FILIUS.

Vide *Parens*, n. 1. 2. 3. & 4.
Vide *Mater*, n. 1.
Vide *Mater Dei*, n. 4. & 5.

FILIUS ADOPTIVUS.

Vide *Mater*, n. 2.

G

GRATIA SANCTIFICANS.

1. Gratia sanctificans Christi est finita in esse entis, & infinita in esse gratiæ. p. 73. n. 9. Et infinitè intensa. p. 69. num. 2. & seq. & pag. 315. n. 462
2. Gratia habitualis non habet terminum in summo. p. 78. n. 18. & p. 84. n. 28
3. Gra

3. Gratia habitualis B. Virginis est infinita, & summa possibilis in pura creatura, disp. 2. per tot.

4. Gratia B. Virginis est quanta cogitabilis est in pura creatura. p. 87. n. 34. & seq.

5. Plenitudo gratiæ B. Virginis, vt talis sit, requirit infinitam, & summam gratiam possibilem in pura creatura. p. 140. n. 135. & seq.

6. Multi in sacra Scriptura dicuntur gratiâ pleni, inæqualiter tamen illam participantes. p. 142. num. 138.

7. Gratiâ plenus dicitur, qui habet totam gratiam requisitam ad suum statum, & dignitatem. ibid.

8. Gratiæ plenitudo, quam B. Virgo accepit, fuit præuia dispositio ad Incarnationem. pag. 173. n. 175. & seq. Et inde colligitur, eam gratiam fuisse infinitam. ibid.

9. Gratiæ plenitudo B. Virginis debuit esse proportionata cum mysterio Incarnationis. p. 172. & 174. n. 174. & 177.

10. Gratia habitualis Christi, B. Virginis, & Iustorum, secundùm probabilem sententiam, est eiusdem speciei Theologicæ, non verò eiusdem speciei physicæ. p. 262. n. 349

11. Eadem numero gratia sanctificans de facto est in pluribus subiectis, & locis, iuxta probabilem sententiam. p. 269. num. 359. & p. 326. num. 486.

12. Gratia sanctificans, iuxta probabilem sententiam, est modus, siue vnio sui cum subiecto. p. 270. n. 360. & p. 325. n. 484

13. Potest gratia habitualis esse intensa cum ha-

 bitibus

bitibus remiſſis, iuxta probabilem ſententiam, p. 305. n. 446

14. Gratia habitualis coëxiſtens operi non ſemper dignificat opus in ordine ad meritum, p. 306. n. 450

Vide *Chriſtus*, n. 4. 8. 9. 10. 11. 12. & 13
Vide *Infinitum*, n. 10. & 13
Vide *Maria Virgo*, n. 3. 5. 7. 8. 9. & 11.
Vide *Mater Dei*, n. 6. 7. 8. 9. 10. 12. 15. 22. 23. & 24.
Vide *Omnipotentia.*
Vide *Sanctitas*, n. 2.
Vide *Viſio beatifica*, n. 8.

H

HVMILITAS.

Vide *Vnio hypoſtatica,*
Vide *Actus*, n. 6.

HIPERDVLIA.

Vide *Adoratio*. n. 2. 3. 7. 8. & 11.

I

IMMENSVM.

Immenſum idem eſt, quod infinitum. p. 125. n. 103

INCARNATIO.

Verbum non incarnaretur ex vi præſentis decreti, niſi B. Virgo præſtaret conſenſum. p. 177. n. 183

Vide *Chriſtus*, n. 2.

Vide *Maria Virgo*, n.8.9.& 10.
Vide *Meritum*, n.7.

INFINITUM.

1. Infinitum in æſtimabilitate morali non repugnat. p.4.n.2
2. Infinitum colligitur eſſe augmentum, ex eo, quòd ſit ſummum poſſibile. p.4.n. 3. & p.81, n,23. & ſeq.
3. Nulla res eſt infinita ex ſola relatione extrinſeca ad bonum infinitum. p.19.n.36
4. Infinitum in perfectione continet omnem perfectionem poſſibilem. p.37.n.69
5. Quamvis res aliqua contineat formaliter, aut æquiualenter infinitos gradus perfectionis, non propterea eſt infinitè perfecta. pag. 38. num.70
6. Si res aliqua contineat infinitos gradus æſtimabilitatis moralis, poteſt eſſe infinita, quamvis non contineat omnes poſſibiles. ibid.
7. In calculatione creaturarum perfectiorum, & perfectiorum, non creſcit perfectio per partes æquales, ſed per proportionales, ſecundùm aliquos. p.39.n.72
8. Non eſt dignitas infinita, eſſe pædagogum, aut cuſtodem Chriſti. p.47.n.82. & ſeq.
9. In denominatione infinitæ dignitatis, requiritur, quod ſubiectum ſit capax. p.48.n.83
10. Infinita gratia habitualis poſſibilis eſt. p.69. n.1.& ſequent.
11. Infinitum ſyncategorematicum quid ſit. p.77. num.16.

10. A tempore Incarnationis accepit totam gratiam, quam posteà erat meritura. pag. 289. num. 404

Vide *Adoratio*, n. 3. 4. 6. & 7.
Vide *Christus*, n. 3. 6. 8. & 11.
Vide *Conceptio B. Mariæ*, n. 1. & seq.
Vide *Gratia sanctificans*, num. 3. 4. 5. 8. 9. & 10.
Vide *Meritum*, n. 1. & seq.
Vide *Omnipotentia*.
Vide *Visio beatifica*, n. 2. 4. & 7.

MATER DEI, MATERNITAS DEI.

1. Maternitas Dei est dignitas simpliciter infinita. pag. 4. num. 3. & pag. 33. num. 62. & seq.

2. Maternitas Dei est dignitas summa possibilis in pura creatura. pag. 4. num. 3. & p. 50. n. 85. & seq.

3. Maternitas Dei in esse entis est finita. p. 41. num. 77.

4. Mater Dei est causa efficiens sui filij. p. 42. num. 78.

5. Matri Dei in æstimatione prudentum filius diuinus est intrinsecus. p. 44. n. 79

6. Maternitas Dei est dignitas superior gratia sanctificante. p. 50. n. 86. Etiamsi gratia sit infinita. p. 159. n. 157

7. Ex dignitate Matris Dei colligitur cumulus gratiarum in ipsa existens. p. 50. n. 87

8. Maternitas Dei est ratio à priori plenitudi-

nis

nis gratiarum existentium in ipsa. pagin. 51. num. 88.
9. Maternitas Dei est principium, & radix moralis sanctificantis gratiæ. p. 54. n. 90
10. Maternitati Dei debita est gratia sanctificans. ibidem.
11. De Maternitate Dei sublimiùs loquuntur sancti Patres, quàm de gratia habituali. ibid. num. 91
12. Maternitas Dei maiorem repugnantiam cum peccato affert, quàm gratia habitualis. p. 55. num. 93
13. Titulo Maternitatis habet B. Virgo ius dominij super omnes creaturas, quotquot extiterint. p. 56. n. 94. & p. 164. n. 164
14. Matri Dei debet Christus reuerentiam, & obseruantiam. p. 56. n. 95
15. Ratione Maternitatis maiori adoratione colimus B. Virginem, quàm ratione gratiæ habitualis. ibid.
16. Maternitas Dei dignitate superat visionem beatam. p. 57. n. 98
17. Maternitas Dei est maxima coniunctio possibilis cum Deo. p. 60. n. 104. & p. 155. n. 154. Et inde colligitur gratia infinita, & summa possibilis. ibid. Et infinita, & summa beatitudo. p. 237. n. 305
18. Ob Maternitatem debet Christus Virgini dilectionem simul, & cultum obseruantiæ: quod nullo alio titulo alteri debet. p. 60. n. 105
19. Maternitas fundat strictissimum ius ad dona supernaturalia, seclusâ quavis promissione Dei. p. 61. n. 107

20. Ma

20. Mater Dei excedit in dignitate Patrem; si hic daretur in Incarnatione. p.67. n.116
21. Ex eo quòd Maternitas Dei sit dignitas summa possibilis, infertur esse infinitam. p.84. num. 30
22. Maternitati Dei debita est infinita gratia. p.135.n.127
23. Maternitas est mensura magnitudinis gratiæ, quâ prædita fuit. p.136.n.128
24. Inter Maternitatem, & gratiam habitualem debet intercedere proportio. p.135.n.127
25. Dignitas Maternitatis infinitè superat quamlibet dignitatem puræ creaturæ. pag. 139. num. 133
26. Maternitati Dei debetur visio infinita.p.233. num.299
27. Mater Dei concurrit actiuè ad Incarnationem. p.42.n.78
28. B. Virginem habuisse, seclusis imperfectionibus concursum plusquam Maternum, censuerunt aliqui. p.64.n.113
Vide *Adoratio*, num. 1, & 2.
Vide *Christus*, num. 5.
Vide *Titulus*, num. 2.

MATER.

1. Mater est causa efficiens filij. p.42.n.78
2. Maior dignitas est, esse Matrem Regis, quam filium eius adoptiuum. p.55.n.92

MERITVM CHRISTI.

Vide *Christus*, num. 1. 14.& 15.

MERI

MERITVM B. VIRGINIS.

1. Merita B. Virginis fuerunt infiniti valoris, deriuati ab infinita gratia habituali. pag. 217. n. 268. Et etiam antecedenter ad illam. p. 177. n. 181. & seq.

2. Merita infinita B. Virginis superantur à meritis Christi per infinities infinita interualla. p. 216. n. 267

3. Qui extollit merita B. Virginis, non minuit, sed potius extollit Christi merita. pag. 221. n. 274

4. B. Maria anticipatè accepit præmium meritorum. p. 289. n. 404

5. B. Virgo meruit Patribus veteris Testamenti dona gratiæ. p. 292. n. 414. & seq.

6. Ex meritis B. Virginis mundus non fuit annihilatus propter primum peccatum. p. 294. n. 419. & seq.

7. Propter merita B. Virginis tempore Incarnationis exhibita, peccata primorum Parentum deleta sunt, & mundus instauratus. p. 289. n. 405. & seq.

8. Per actum compassionis meruit B. Virgo omnibus hominibus remissionem. p. 295. n. 421. & seq.

9. Ex meritis B. Virginis, mundo allatum est remedium salutis. pag. 296. num. 426. & seq.

10. B. Virgo meruit Angelis gratiam, & gloriam. p. 297. n. 429. & seq.

11. Iuxta probabilem sententiam, præmium de facto collatum non adæquat merita B. Virginis. p.302.n.441
12. Vnum opus meritorium B. Virginis non merebatur totam gratiam possibilem, bene tamen infinitam. p.304.n.444.& 445
13. Probabile adhuc est, singula eius opera meritoria elicita post Incarnationem, meruisse totam gratiam possibilem. p.306.n.449

O

OMNIPOTENTIA.

Omnipotentia Dei est mensura donorum gratiæ B. Virginis. p.149.n.146.& p.212.n.259

P

PARENS.

1. Dignitas Parentis sumitur à dignitate filij. p.32.n.61
2. Tantò magis crescit dignitas Parentis, quantò nobilior est filius. p.33.n.62
3. Patris Æterni dignitas infinita arguitur ex filio infinito. p.35.n.65
4. Filius censetur pars sui Parentis, & eadem persona cum illo. p.45.n.80.& seq.
5. Pater in Incarnatione fuit impossibilis. p.66. num.115
Vide *Mater Dei.* Vide *Mater.*

PECCATUM.

1. Peccatum lethale in ratione offensæ est infinitum; finitum verò in ratione entis. p.41. num.77.
2. Quare peccatum veniale non sit infinitum in ratione offensæ? p.48.n.83

PRÆMIUM.

Præmium correspondens singulis operibus B. Virginis est inferius ipsis meritis. pag.303. num.443
Vide *Christus*, num. 14.& 15.
Vide *Maria Virgo*, n. 10.
Vide *Meritum B.Virginis*, n.4.& seq.

PURITAS.

Vide *Sanctitas*, n. 1.

S

SANCTITAS.

1 Sanctitas, & puritas non differunt in verbis Anselmi. p.87.n.35.& seq.
2. Inter sanctitatem Christi,& B.Virginis nulla alia mediare potest. p.148.n.145
Vide *Gratia sanctificans*.

SATISFACTIO.

1. Ad condignam satisfactionem pro peccato le

lethali requiritur æqualitas personæ satisfacientis, & personæ offensæ. p.311. n.459.& p.331.n.497.

2. Pura creatura infinitæ gratiæ viribus munita nequit satisfacere ad æqualitatem pro peccato lethali. p.311.n.458.& p.332.n.498

T

TITVLVS.

1. Titulus physicus moralitatis infinitus refundit infinitatem in moralitatem, p.40.n.74

2. Titulus physicus dignitatis moralis Maternitatis Dei est Filius Diuinus. ibid.

3. Vt titulus refundat infinitatem in moralitatem, debet esse intrinsecus. p.42.n.78

4. Vel si est extrinsecus, debet esse effectus causæ efficientis. ibid.

5. Titulus infinitus debet immediatè afficere subiectum, vt refundat infinitatem. pag.49. num.84

V

VISIO BEATIFICA.

1. Visio beatifica non est simpliciter infinita, sed secundùm quid. p.20.n.38

2. Visio beatifica B. Virginis est infinitè intensa, & summa possibilis in pura creatura. p.224. n.279.& seq.

3. Visio

3. Visio infinita debetur dignitati Matris Dei. p.233.n.299.
4. Visio intellectus creati Christi incomparabiliter excellentior est visione B. Virginis, quantumvis infinitâ. p.242.n.313. Et explicatur excessus. p.244.n.318.& seq.
5. Intellectum creatum Christi D. videre per visionem increatam essentiam Diuinam, asseritur ab aliquibus. p.242.n.314
6. Visio increata non potest esse debita vlli dignitati creatæ, p.243.n.316.& p.326.n. 486
7. Si visio increata constitueretur in intellectu creato Christi, & Deiparæ, adhuc inæqualiter viderent Diuinam essentiam. p.244.n.317. Et explicatur ratio inæqualitatis. pag.249. numero 327
8. Visio beata,& lumen gloriæ sunt proprietates connaturales gratiæ sanctificantis. pag.245. num.319
9. Visio beata, & lumen gloriæ sunt etiam proprietates connaturales Vnionis hypostaticæ. p.245.n.320
10. Et dimanant physicè ab Vnione hypostatica, secundùm aliquos. ibid.& pag.327. numero 489
11. Visio debita Vnioni hypostaticæ essentialiter connectitur cum Vnione. pagina 247. numero 323
12. Visio debita Vnioni hypostaticæ perfectior est visione debita gratiæ habituali. pag.246. num.321
13. Pura creatura non est capax visionis debitæ

 Vnioni

Vnioni hypostaticæ. p.250.n.328
14. Visio infinita non propterea debet videre omnes creaturas possibiles. pag.251.n.329.& p.330.n.495
15. Visio, licèt attingat omnia possibilia, non propterea est comprehensio Dei. pagin.251. num.330
Vide *Maria Virgo*,n.9.
Vide *Mater Dei*,n.16.

VNIO HYPOSTATICA.

Ab Vnione hypostatica physicè dimanant gratia habitualis,& cætera dona gratiæ, secundum aliquos. p.245.n.320
Vide *Visio beata*,n.9.& sequent.

VIRTVTES.

Vide *Actus*,n.3.& seq.

FINIS.